

Fe. 216.

3.



WENCESLAI TRNKA
DE KRZOWITZ

S. R. I. EQUITIS MEDIC. DOCT. IN REG. UNIVERS.
PESTIN. PRAX. MED. PROF. P. O.

HISTORIA
HÆMORRHOIDUM

OMNIS ÆVI OBSERVATA
MEDICA CONTINENS.

VOLUMEN III.

OPERIS POSTHUMI
EDITIONEM PROCURAVIT
FRANCISCUS SCHRAUD
IN EADEM UNIVERS. INSTIT. MED. PROF. P. O.

VINDOBONÆ,
APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPPLER.
MDCCXCV.

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE

HISTORIA
HÆMORRHOIDUM
ALBARUM.



PRÆFATIO.

Duobus historiæ rubrarum ani hæmorrhoidum voluminibus hucusque editis tertium addimus, albarum, & vesicæ hæmorrhoidum historiam complectens, in eo diversi a prima nostra destinatione, quod, quæ opuscula una cum ceteris quibusdam seorsim prioribus dare instituimus; ea nyc affinitate obiectorum induciti nectere ijs maluimus, ut omnem de re hæmorrhoidal tractatum nostri auctoris uno opere comprehensum lectores haberent. Quominus tertius hic tomus vasilitate prioribus

bus responderet partim minori obiectorum
huc pertinentium libertati adscribendum est,
partim vero, quod multa, quæ huc etiam per-
tinerent, prioribus tomis præcepta sunt. Ab
auctore certe nostro utrumque opusculum
usque ad prei labores consummatum datum
est, uti manuscriptum docet: itaque non aut
curandum mihi erat, ut ipse manca supplerem,
aut verendum, ne minus elaboratum opus of-
ferrem lectoribus. Quorum si toto opere
edito gratiam inivi, omnem me qualiscunque
laboris fructum tulisse existimabo.

Scriebam Pestini Nonis

Augusti MDCCXCV.

SERIES

HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM VESICÆ.

P A R S I.

	pag.
CAP. I. §. 1. Definitio	95
CAP. II. §. 2. Genera	97
1. Cœcæ	—
2. Fluentes	—
a. Sanguinæ	—
b. Mucosæ	98
CAP. III. Proëgumenæ causæ	100
§. 3. 1. Sexus	—
— 4. 2. Aetas	101
— 5. 3. Temperies	102
— 6. 4. Laxitas vasorum vesicæ	103
— 7. 5. Gentilitia dispositio	—
CAP. IV. Procatareтика causæ	104
§. 8. 1. Ingesta	—
— 9. 2. Venus nimia	—
— 10. 3. Hæmorrhoides ani anom.	105
CAP. V. §. 11. Symptomata	109
§. 12. I. Fluxus phænomena	110
1. Humor excretus	—
	a.

	pag.
a. Sanguis - - - - -	—
b. Mucus , ejusque - - - - -	—
α. Odor - - - - -	III
β. Color - - - - -	—
γ. Consistentia - - - - -	—
δ. Ductilitas - - - - -	112
2. Copia - - - - -	113
a. Sanguis - - - - -	—
b. Mucus - - - - -	—
3. Tempora - - - - -	114
a. Cruenti mictus - - - - -	—
b. Mucosi - - - - -	115
4. Modus - - - - -	116
— 13. II. Dolor - - - - -	117
— 14. III. Micturitio - - - - -	122
CAP. VI. Diagnosis - - - - -	123
— 15. I. Absoluta - - - - -	—
— 16. II. Relativa ab - - - - -	124
A. Hæmorrhagiis aliis - - - - -	124
1. Hæmaturia renal. - - - - -	—
2. Stymatosi - - - - -	125
B. Sedimentis albis - - - - -	125
1. Mu-	

	pag.
1. Muco - - - - -	—
a. Spasmodico - - - - -	—
b. Calculoso - - - - -	126
c. Gonorrhoco - - - - -	—
2. Pure - - - - -	127
3. Chylo - - - - -	—
4. Creta arthritica - - - - -	128
CAP. VII. Prognosis - - - - -	129
§. 17. I. Curabilitas - - - - -	—
— 18. II. Effectus - - - - -	134
A. Boni - - - - -	—
B. Mali - - - - -	136
1. Ischuria - - - - -	—
2. Cyftidis - - - - -	140
3. Ulcus vesicæ - - - - -	142
4. Hectica - - - - -	145
— 19. III. Suppressio periculoſa - - - - -	148
— 20. IV. Solutio morbi - - - - -	155
— 21. V. Recidiva facilis - - - - -	156

P A R S II.

CAP. I. §. 22. Summa curationis - - - - -	157
CAP. II. Chirurgia - - - - -	159
§. 23.	

	pag.
§. 23. 1. Sanguinis missio	159
— 24. 2. Enemata	167
— 25. 3. Topicæ	—
— 26. 4. Catheter	169
CAP. III. Pharmaca	170
§. 27. 1. Cathartica	—
— 28. 2. Solventia	172
— 29. 3. Antispasmodica	173
— 30. 4. Tonica	174
a. Mars	175
b. Millefolium	—
c. Cortex Peruv.	—
d) Uva ursi	176
CAP. IV. Dieta	176
§. 31. 1. Alimenta	—
— 32. 2. Affictus	—
— 33. 3. Aer	177
— 34. 4. Motus	—
— 35. 5. Venus	178

HISTO-





SERIES OPERIS
HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM
ALBARUM

P A R S I.

	pag.
CAP. I. §. 1. Definitio - - - - -	1
CAP. II. §. 2. Genera ab - - - - -	2
I. Organo - - - - -	3
1. Ani - - - - -	—
2. Vesicæ - - - - -	—
3. Uteri - - - - -	—
4. Penis - - - - -	4
II. Nisu - - - - -	—
A. Cœcæ - - - - -	5
1. Varices - - - - -	—
2. Serpigo ani - - - - -	—
B. Fluentes - - - - -	7
1. Humor - - - - -	—

2)

VIII

	pag.
§. 15. 1. Symptomatum abolitio	39
— 16. 2. Ulcus recti	42
— 17. 3. Tabes	55
— 18. 4. Hydrops, Tympanites	65
— 19. III. Suppressio fluxus mala	68
— 20. IV. Solutio morbi	72

P A R S II.

CAP. I. §. 21. Indicationes	—	—	—	74
CAP. II. §. 22. Pharmaca	—	—	—	76
I. Attenuantia	—	—	—	—
— 23. 2. Cathartica	—	—	—	78
— 24. 3. Aloe	—	—	—	80
— 25. 4. Diuretica, diaphoretica	—	—	—	81
— 26. 5. Antispasmodica	—	—	—	82
— 27. 6. Tonica	—	—	—	83
CAP. III. Chirurgia	—	—	—	85
§. 28. 1. Sanguinis missio	—	—	—	—
— 29. 2. Enemata	—	—	—	86
— 30. 3. Frictiones	—	—	—	87
— 31. 4. Topica	—	—	—	—
— 32. 5. Apertura varicum	—	—	—	92

CA-



	pag.
a) Mucus	7
b) Serum	11
2. Copia .	13
3. Tempora	15
CAP. III. §. 3. Proëgumenæ causæ	17
1. Aetas	—
2. Sexus	18
3. Temperies	19
CAP. IV. §. 4. Procatareticæ causæ	20
1. Ingesta	—
2. Vis externæ	21
3. Venus	—
4. Hæmorrhoides rubræ	22
CAP. V. §. 5. Proxima Causa	26
CAP. VI. §. 6. Symptomata	29
CAP. VII. §. 7. Diagnosis relativa 4	30
— 8. I. Scabie Venerea ani	31
— 9. II. Ulcere recti	—
— 10. III. Diarrœa	32
— 11. IV. Dysenteria mucosæ	33
— 12. V. Cœliaca	36
CAP. VIII. §. 13. Prognosis	37
I. Curabilitas	—
— 14. II. Effectus	39
	§. 15.

	pag.
CAP. IV. Diæta	93
§. 33. 1. Alimenta	—
— 34. 2. Affectus animi	—
— 35. 3. Motus corporis	94

HISTO-





HISTORIÆ
HÆMORRHOIDUM
ALBARUM.

PARS I.
PATHOLOGICA.

CAPUT I.
DEFINITIO.

s. I.

HAEMORRHOIDES *albæ* sunt muci, serive ex hæmorrhoidalibus vasis egestio. Morbus hic nil nisi anomalia est hæmorrhoidum rubrarum; de qua tamen nil uspiam apud Veteres exstat, neque inde per 15 à CHRISTO nato secula quispiam ejus commeminit; primus (opinor) I. FERNELIUS (a) fuit, qui sexto

(a) Pathol. L. 6. C. 10.
TRNKA Hist. Hæm. Vol. III. A

sexto decimo seculo ad hanc hæmorrhoidalem
vacuationem animum advertit, aliosque deinceps etiam, præprimis D. SENNERTUM, eo
convertit. Verum, ut tunc tempora ferebant,
medici non ultra phænomenon progressi ne-
scio quid rari in illo magis admirari maluere,
quam ut ad legenda naturæ vestigia adjice-
rent animum: quo factum, ut ad annum
usque 1698, quo primum tempore G. E.
STAHLII dissertationes de hæmorrhoidibus
edi cœptæ, genuina hujusce morbi cum pa-
thologia, tum therapia fuerit ignorata. Tum
vero STAHLIUS, indolem hæmorrhoidalis
morbi diu ante scrutatus, albas quoque hæ-
morrhoides editis tum scriptis eo cum suc-
cessu illustravit, ut pauca postmodo adjici-
enda restarent, præprimis discipulo ejus M.
ALBERTI manum ad ulterius hoc opus appelle-
lente.

CAPUT II.

GENERA.

§. II.

GENERA hæmorrhoidum albarum alia or-
ganum ipsum, in quo illæ sedem naestæ sunt,
alia nifus varius humorum in vasa hæmo-
rrhoidalia suppeditant; idcirco

I. Or

I. *Organo*, ut sede spectato sunt:

1. *Ani* hæmorrhoides albæ, quarum sedes est in vasis hæmorrhoidalibus intestini recti vel externis vel internis. De his præcipiis mihi sermo erit. Sunt &

2. *Vesicæ* hæmorrhoides mucosæ, de quibus seorsim (a) doctrina dabitur. Porro

3. *Uteri* quoque hæmorrhoides albas dari certa observatione constat, quæ leucorrhœa hæmorrhoidalnis nuncupantur, curatio que hujusmodi leucorrhœæ hæmorrhoidibus propria est facienda. Meminit RAVLIN (b) hujus affectionis, & Auctor observationum clinicarum ad ductum medicationum in nosocomio Varsaviensi (c) meminit innuptæ feminæ in nosocomium illatæ cum leucorrhœa, & pertinacibus alvi obstructionibus. Leucorrhœam non esse venereum examen docuit; ut ut materia profluens fuerit corrosiva. Imperatum enema ad referandam alvum ægra recusabat, quod sub alvi egestione atroces semper dolores perpeti cogeretur. Præmissis igitur

(a) Vide histor. hæmorrh. Vesicæ §. 12. Nro. 1. b)

(b) Traité des Fleuts blanches T. I. S. 2. Ch. 3. p. 119.

(c) Fascic. I. p. 39.

igitur emollientibus balneis jussa est postea vaporí aquæ fervidæ infidere; sed nullis inde varicibus hæmorrhoidum prolectis dolores potius intestini recti etiam extra alvi egestiones increvere. Intimius ergo rectum exploratum, & intra illud altius hæmorrhoidales nodi reperti. Curatione itaque ad hosce abolendos instituta non modo ani dolores; verum leucorrhœa quoque sponte desit, manifesto indicio illam fuisse hæmorrhoidalem. Et postmodo (a) „referre (ait idem auctor) „debeo, me iterum in uxore leucorrhœam „hæmorrhoidalem illi, quam in 1mo fasciculo „narravi; omnino similem reperiisse, & eadem „indicatione illam abstulisse, quæ jam per „triennium omnes alias indicationes fefelerat.“

4. *Penis* denique mucosas hæmorrhoides gonorrhœam benignam notham mententes vidit R. I. FORTIS (b), nec aliquotum referenda est MAYERNII (c) observatio.

II. *Nisu* autem vario edito sunt

A.

(a) Fascic. 2. p. 63.

(b) Vide Tom. I. §. 51. B. d. n. 3.

(c) Prax. med. P. I. p. 363.

A. Coecæ, fere semper externæ i. e. systematis iliacarum, eaque spectata tuberculorum magnitudine rursus duplices:

1. *Varices vulgaris molis pro sanguine rubro mucum, vel serum, vel materiam spermatis ranarum analogam continentes, quales erant in CONERDINGII (a) arthritico, & viris GREISELII, (b) ac SORBAITII (c).*

2. *Variculæ serpiginosæ STAHLII, olim attrices dictæ, de quibus P. FORESTUS (d): attrices nominant quasdam tuberositates parvas circa anum, quæ aliquando recessunt, & per tempus revertuntur.“ Multo autem luculentius eas descriptit STAHLIUS (e) dicens pullulare hic „minima, & quasi serpiginosa tubercula, interdum ad 2 digitos latos ambitum ani cingentia, mox vero iterum introrsum ad limbum ejus coëuntia, summe pruriginosa, interdum aliquamdiu plane delitescentia, mox denuo prodeuntia, tenuibus tamen eminentiis, & quasi sola*

(a) Vide sequ. B. Nro. 1. b).

(b) Vide §. 32.

(c) Ibidem.

(d) L. c. L. 23. schoi. ad obs. 9.

(e) Diff. de motu sangu. hæmorrhoidal., & hæmorrhoidib. extern. Cap. 4. p. 12.

„sola scabritie pruriginosa . . . quæ pluribus
 „annis vel sæpiissime repullulant, vel nunquam
 „ad plenariam desiccationem pertingunt. Dum
 „(ægri) hæc habent, aut plane nihil incom-
 „modi sentiunt, aut rara sane, & levia pa-
 „themata spasmodico-ischiatica, aut lumba-
 „ria persentisunt (*a*) . . . Jam licet per
 „ejusmodi superficialia ulcuscula neque san-
 „guis evacuetur, neque aliis humoris ulla
 „effatu digna quantitas (siquidem revera, si
 „quantitas materiæ, quæ hic exfudat a scal-
 „ptione, pensitetur, vix tota septimana tan-
 „tum inde conficeret, quantum Æj, aut mi-
 „nus æquaret); nihilo minus ipsa sola levissi-
 „ma excretio, quatenus talis, præstat hic
 „vicem alicujus satisfactionis“ (*b*). M. AL-
 BERTI (*c*) hanc eandem serpiginem ita de-
 scribit: „quod diversis subjectis hæmorrhoi-
 „dariis certis temporibus, & quidem per in-
 „tervalla vel in ipso ani exitu, vel in limbo
 „eiusdem efflorescant pustulæ miliares (in-
 „star serpiginis), quæ valde pruriunt, do-
 „lent, ardent, & in ambitu cum molestiis
 „tensoriis, strictoriis, subtiliter fremebundis
 „stipantur, concurrente alvi molestiori su-
 „cessu, quin agentibus nonnunquam actuali-
 bus

(*a*) Ibidem p. 11.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Diff. de hæmorrhoidib. albis, §. II. Tract.
de hæmorrhoidib. P. I. p. 261.

„bus tenesmis ; & hæ pustulæ vel fortuito
 „sub consueta obambulatione abradantur, &
 „áffracentur, vel voluntario ad demulcendum,
 „& mitigandum eximium illum pruritum scal-
 „puntur, & fricantur, ut ita denique apertæ
 „hæ pustulæ exiguum quantitatem . . . ma-
 „teriæ tenuioris, limpidæ , subtiliter muci-
 „laginosaæ , leviter flavescentis effundant. Hæc
 „manatio interdum per aliquot dies continuat,
 „aliquando per longius tempus insistit , com-
 „muniter vero iterum exsiccatur, & concre-
 „scit; sed post aliquam moram iterum reddit“.
 Atque his variculis serpiginosis quædam illius
 (a) femina laboravit,

B. *Fluentes* vero semper internæ i. e.
 ad venam portæ referendæ, quæ sanguinis
 loco mucum, serumve eructant ipso interdum
 sanguine alteratum. Atque in hoccei hæmo-
 rrhoidalí fluxu tria potissimum occurunt ani-
 madvertenda, nimirum humoris excreti indo-
 les, copia, & excernendi tempora.

i. *Humor*, qui alvo egeri solet, potis-
 sum est

a) *Mucus* variæ consistentiæ, & colo-
 ris albicantis, si purus sit; at non raro san-
 guinem etiam sibi admistum habet, qui si in-
 time

(a) Vide S. 4. Nro. 4.

time illi mixtus est, mucum rubellum efficit; sin minus, tunc sanguis forma grumorum, striarumve &c. muco inhæret. Atque ab hoc muco, hæmorrhoides albæ vulgo mucosæ etiam audiunt. Hinc M. ALBERTIO (a) notante egeritur „materia plurimum mucilaginosa, „pallida, lubrica, albumen ovi, aut sperma „ranarum, vel saturatam spissitudinem solutio- „nem tragacanthæ referens, loca hæmorrhoi- „dalia eliquans, & mucilagine sua humectans“ . . . interdum „leviter rubella, aliquando „cum tenuibus filamentis; aut striis sanguini- „neis remixta, magis tamen albuginea, & „haud sincere cruenta, cuius excretionem . . . „motus strictorii & tenesmodi urgent, qua „per intervalla obtenta aliquamdiu dolores „illi interni acquiescunt“ (b). Materiæ id genus per anum excretionem jam I. FERNER- LIUS (c) ex hæmorrhoidum vasis provenire agnovit, monuitque, ne cum pure confundatur. Etenim „purulenta excretio (inquit „ille) si exigua, & cum dolore prodit, ab „ulcere, aut intestinorum, aut podicis est; „. . . si copiosior est, atque doloris ex- „pers, ex abscessu quodam mesenterii in „proxima intestina fertur; si vero parcior, „pari-

(b) Diff. cit. §. 4. p. 254.

(b) Ibidem §. 10. p. 260.

(c) L. c. p. m. 170. sq.

„pariterque indolens, ea quidem vere puru-
 „lenta non est, nec ab ulcere manat (id quod
 „multos puris specie fecellit), sed mucosa
 „quædam sordes est subalbida, & veluti li-
 „mus, fexque sanguinis melancholici, quam
 „podicis expiunt venæ, atque multo inter-
 „dum tempore eructant, post diurnos fere
 „morbos melancholicos, duramque & labo-
 „riosam equitationem“ Sic **I. RHODII** (a)
 „cœnobitæ . . . ætatis proiectæ pruritu sicco,
 „atque difficili diu vexato sanguis e venis hæ-
 „morrhoidalibus adeo pituitosus fuit evoca-
 „tus, ut præter tantillum seri nullum sanguini-
 „nem referret . . . Lotium eidem per ali-
 „quot dies privative crudum conspiciebatur.“
 Et (b) „nobilis Venetus ætate jam præcipi-
 „rata pituitam fecibus permixtam dejicit, quæ
 „merum pus referebat.“ Perinde **G. I. GREI-**
SELII (c), **ERNESTII** (d), ac **SORBAITII**
 (e) ægri materiam alvo excreverunt spermati-
 ranarum analogam, idque ipsum etiam „in
 „duobus notavit **D. HELWICH** (f), exivisse
 „materiam instar spermatis ranarum.“ Ru-
 bellus

(a) Obs. med. Cent. 3. Obs. 72.

(b) Ibidem Obs. 73.

(c) Vide §. 32.

(d) Vide §. 18.

(e) Vide §. 32.

(f) Histor. morbor. Vratisl. A. 1700. p. **IM. 170.**

bellus autem erat mucus, quem vir MUL-
LERI (a) quandoque excrenebat, indubie ab
admisto sanguine; manifeste autem subcruen-
tum reddebat ISENFLAMMI (b) senex, imo
eruentum STORCHII puella (c), amicus (d),
& vir quidam (e) 52 annorum, cholericico-
melancholicus, macilentus, qui mense sep-
tembri ab insueto haetenus in horto labore
cum crebra proni corporis incurvatione ve-
hementem continuo dorsi dolorem naectus est,
postridie magis in os sacrum & coxas dela-
psum, unde ischias illi jam saepius infesta est
enata. Data igitur pro litu olei scorp. ȝȝ,
interne vero ȝȝes:

¶. ȝȝ specific. cephal. ȝȝj.

— polychr. auctoris ȝȝj. M. F. ȝȝ.

S. a meridie, ac vesperi $\frac{1}{4}$ ejus. Postridie
imperatus usus MRæ ex R̄is rhei, ac $\frac{1}{4}$ tri-
c. oleo anisi. Die 40 morbi exiguus superfuit
dolor. Ob temperiem hæmorrhoidibus fa-
ventem de his interrogatus reposuit, mucus
se excreuisse saepius, nunquam sanguinem,
& die 50 curiosius inspecta stercora exhibu-
ere

(a) Vide §. 17.

(b) Vide §. 16.

(c) Vide §. 14.

(d) Vide §. 4. Nro. 2.

(e) Obs. clin. ann. 2. Septembr. cl. 4. p. 419.

ere simul mucum lubricum & cruentum, qui doloris attulit levamen. Cum sanguine etiam primum, dein absque hoc egerebat mucum æger, cuius meminit FORTIS (a). Sæpe vero striæ tantum sanguinæ hunc mucum interstingunt, velut in ALBERTII (b) viro, HOFFMANNI (c) seno, RICHTERI (d) ægro, feminisque STAHLII (e) ac STORCHII (f). In nonnullis denique integri sanguinis grumi muco obvoluti reperiuntur, quemadmodum in SEG-NITZII (g) viro & SILVATICI (h) homine, malo plerumque omne. Ut ut vero sæpiſſime in albis hæmorrhoidibus mucus annoegeri soleat; aliquando tamen etiam

b) Serum profluere est observatum, idque summæ non raro acrimoniæ: unde hæmorrhoides albas non semper mucosæ; verum & serosas quandoque esse in confessu est: & mihi, inquit FRID. HOFFMANNUS (i),

,notæ

(a) Vide §. 4. Nro. 4.

(b) Vide §. 19.

(c) Vide §. 16.

(d) Vide §. 4. Nro. 3.

(e) Vide sequ. Nro. 3.

(f) Vide §. 24.

(g) Vide §. 16.

(h) Vide §. 11.

(i) Med. rat. Syft. T. 3. S. 1. C. 9. §. 17.

„nota complura sunt exempla, quosdam tuberculæ in ano gestasse, quæ ob exquisitum dolorem rotum corpus in consensum pertransierunt; sponte autem rupta aliquot cochlearia feri acris corrosivi fuderunt, quo evanescato pathemata conquieverunt.“ Perinde T. CONERDINGIUS narrante P. C. STOCKHAUSEN (*a*) literis ad MEIBOMIUM datis retulit, se in arthritico graviter decumbente vehementes hæmorrhoidum dolores cum tumore obortos notasse; intra paucas autem horas apertura sponte facta limpidissimum serum ad plures libras effluxisse tam acre, & corrosivum, ut partes madefactas corroserit, & excoriarit. S. ALISCHER (*b*) curandum habuit literatum virum hæmorrhoidum fluxui obnoxium; quo minus, ac alias procedente hæmorrhoides cœcæ multo cum tumore, ac dolore sunt obortæ, & cum effluxu ichoris quasi glutinosi, ac gelatinosi summe acris: donec idonea medela sanguinis fluxus est revocatus. Hoc tamen abhinc superfuit incommodum, quod post singulas dejectiones hæmorrhoides satis diu extra anum prostiterint; & etiamnum, ubi sanguinis fluxus remittebat, magnam ichoris serosi, at longe fluidoris, quam ante, copiam eructarint; eo quod sphinx-

(*a*) Disp. cit. §. 15.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 15. A. 1721. Mart. cl. 4. art. II. p. 317.

sphincter ani penitus sese constringere ne-
quiverit. Ad seratas an mucosas referen-
dum est hæmorrhoides, quod G. H. VELSCH
(a) narrat? „Rarissimus (ait) affectus est flu-
„xus hæmorrhoidum non sanguineus, sed
„ichorodes, & quasi suppuratus. Bis omnino
„hunc observavimus, semel quidem in viro
„Religioso, qui sponte ruptis haud parvam
„copiam purulentiae excreverat; linimento ex
„ſte lap. Grumbacensis, tutiæ ppt., boli
„armen. cum ungu. de minio, & cerussa
„curatus est. Secundum vero in viro no-
„bili.“ (b)

2. *Copia* porro, qua mucus, vel serum
reddi solent, non semper est eadem; obser-
vante tamen M. ALBERTIO (c) ut plurimum
muci tam exigua est „ut qualibet depositione
„copia $\frac{1}{2}$ mediocris cochlearis, & vix semper
„tanta excernatur; quæ evacuatio per vices
„& intercapedines repetit: sed eo ipso a vul-
„gari alvi fluxu maxime discrepat, dum nulla
„alia fluida, aut fuscantia materia vel ante,
„vel post exoneratur.“ Vix certe $\frac{1}{2}$ cochlear
materiæ pus referentis egerebat RICHTERI (d)
æger;

(a) Obs. phys. med. Hecatost. 2. Obs. 98.

(b) Vide §. 117. 3. Tom. II.

(c) Diff. cit. §. 9. p. 259.

(d) Vide §. 4. Nro. 3.

æger; neque integro cochleari plus muci SILVATICI (a) vir excrenebat; senex ISENFLAMMII (b) muci vitrei subcruenti ȝ alvo reddebat, & STORCHII (c) amicus materiae sperma ranarum referentis cruce misti volam ano explosit. Hinc & FERNELIUS (d) ex paucitate muci, ac excretione sine dolore conclusit, humorem hunc non pro pure ulceris, sed pro hæmorrhoidalí esse habendum. Interea tamen id pro criterio non esse statuendum docent alia observata, ubi insignis sæpe copia hæmorrhoidalis id genus muci excrenebatur: multum sane illius egesserunt viri GOHLII (e) ac STUNZERI (f), feminaque STAHLII (g) ingensque ejus vis erat, quam aliquando SEGNITZII (h) vir dejectit; humor ille sperma ranarum referens a SORBAIT (i) visus fere 2 mensuras dedit, imo ȝ 10 ejusdem GREISELII (k) æger exoneravit. Perinde se res habet in fero excreto, cuius aliquot tantum

CO-

(a) Vide §. 11.

(b) Vide §. 16.

(c) Vide §. 4. Nro. 2.

(d) L. c.

(e) Vide §. 4. Nro. 1.

(f) Vide sequ. Nro. 3.

(g) Vide sequ. Nro. 3.

(h) Vide §. 16.

(i) Vide §. 32.

(k) Ibidem.

cochlearia reddi HOFFMANNUS (a) vidit,
CONERDINGIUS (b) plures libras.

3. *Tempora* denique, in quæ excretiones hæ incident, recenti adhuc in morbo eadem sunt fere, ac in hæmorrhoidibus rubris, nimirum vel menstrua, vel æquinoctialia, & solstitialia, vel certe nulli typo adstricta, vel ex brevioribus intervallis constantia. Sic STUNZERI (c) viro hæmorrhoides mucosæ 10. quoque die fluxere cum solennibus hæmorrhoidalib[us] morbo symptomatis, vehementibusque circa umbilicum torminibus; at evacuata uberi lenti muci copia levamen perinde; atque a fluxu sanguineo aliis accidit, sequebatur. Verum ubi morbus hic invaluit, habitualisve effectus est, quotidie propemodum, idque crebris insultibus affligit adeo, ut demum non modo sub fecum egestione, sed etiam ob assiduum plerumque tenesimum citra ulla stercora mucago illa ad sui excretionem urgeat, imo involuntarie etiam quandoque fecedat. STAHLII (d) femina sanguineo-melancholica, ex arthritica familia, sollicitudines, & plus quam annuam quartanam, ac varias

(a) Vide Nro. præced. b)

(b) Ibidem.

(c) L. c. p. 49.

(d) Diff. cit. l. c. p. XI.

rias tertianarum recidivas perpetua, insuper ultra annum pessimum omni mense capitis erysipelas cum ferocissima cephalalgia; catameniis autem parcissimis, laborabat. Catameniis Væ Se revocatis, post aliquot arthriticos insultus accendentibus pluribus, gravibusque terroribus, & anxietatibus tandem atroces splenicos dolores aliquoties perpetua, ac præterea diarrhoeam cum intensissimis tenesmis experta excrevit mucosa cum copiosis striis cruenta, multa, saepeque diei spatio. Perinde Ecclesiastici apud R. I. FORTIS (a) mucus primum sub alvinis tantum nixibus, dein sine ullo etiam conatu egrediebatur; MÜLLERI (b) Rector per 4 annos quotidie mucum saepius, & jam cum fecibus, jam sine iis excrenebat, & SEGNITZII (c) vir urgente noctu præsertim tenesmo intra $\frac{1}{4}$ horæ quater, sexiesve desidens raro stercora, sed mucum plerumque reddebat; RICHTERI (d) autem æger vel viicies per diem desidens nil nisi materiam albicantem excrenebat. SCHARRSCHMIDTII (e) porro Ecclesiastici quotidie mucum alvo redenti podex inter fedendum etiam madebat.

Atque

(a) Vide §. 4. Nro. 4.

(b) Vide §. 17.

(c) Vide §. 16.

(d) Vide §. 4. Nro. 3.

(e) Vide §. 13.

Atque ex his abunde liquet, hæmorrhoides
albas habituales multo esse deteriores rubris,
plurimumque afflictionis accersere ægrotis.

C A P U T III. PROEGUMENAE CAUSÆ.

§. III.

PROEGUMENAE *causæ* hæmorrhoidum albæ
rum tametsi eadem sint, quæ rubrarum; ta-
men hæ ipsæ nonnisi sub singulari quadam
conditione, de qua hic agendum est, cum
peculiari perinde procatarcticarum concur-
rentium applicatione, ad albas ducunt: quas
inter

1. *Aetas* adultior plerumque est. Cum
enim rubræ hæmorrhoides in omnem fere,
ut vidimus (*a*), ætatem cadant; albæ, quan-
tum ex historiis, quas coram habeo, eruo,
nunquam ante 30um ætatis annum adveniunt;
rarissime quoque ante 40um; ex iis enim,
quorum ætatem rite adnotatam reperi, sola
STORCHII (*b*) puella 30 annos nata erat, dum
cruen-

(*a*) Vide Tom. I. §. 10.

(*b*) Vide §. 14.

cruentum alvo mucum egerere cœpit, qui rubrarum potius hæmorrhoidum secutarum prænuncius esse videbatur; quod ipsum etiam de ALBERTI (*a*) viro 30. annis majore tenendum est; quippe qui remediis adhibitis postea rubrum fluxum sit adeptus. Soli duo ægri, quorum unus KREBSII (*b*) est 34 annorum; alter 36um ingressus apud R. I. FORTIS (*c*), hæmorrhoides mucosas vere tales, diurnioresque sunt perpetfi. Reliqui omnes, quorum mihi de ætate constat, morbum hunc a 40mo ætatis anno, & post hunc exorsi sunt: ut proinde certum sit, ægritudini huic non nisi adultiorem, & ingravescensem ætatem esse obnoxiam.

*2. Sexus autem præprimis virilis ad hocce malum proclivis est; ex toto enim ægrorum isthoc morbo affectionum syllabo, quem contexui, & prope 40 mortales continet, 4 haud amplius feminæ sunt albas expertæ hæmorrhoidas; quarum etiam, si puellam STORCHII (*d*) demas, cui morbus non ultra semel accidisse videtur, & leucorrhoicam illam, cuius*

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Vide §. 31. Nro. 2.

(*c*) Vide §. 4. Nro. 4.

(*d*) Vide §. 14.

cujs ante (a) meminimus, ad rubras perinde
ani, at cœcas hæmorrhoides referas, duæ
tantum erunt reliquæ: STAHLII (b) nempe
una; altera STORCHII (c), quæ hæmorrhoi-
dibus albis laborasse dici mereantur.

3. *Temperies* e melancholico - vel san-
guineo - phlegmatica teste G. H. BEHRIO (d),
cum quo & S. SELIGMANN (e) sentit, aptissima
huic morbo suscipiendo videtur; forte
ob mucosam humorum diathesin vasorum la-
xitati, inertiaeque in id genus temperamentis
perfrequentem: nihilo tamen secius temperies
cholerica, cholericō - melancholica, sanguinea,
&c.; haud plus immunitatis, ut observata
docent, attulerunt.

CAPUT

(a) Vide §. 2. I. Nro. 3.

(b) Ibidem II. B. Nro. 3.

(c) Vide §. 24.

(d) Medic. consultat. Consil. 1. p. 7.

(e) Diff. de hæmorrhoidib. albis. Sect. 2. §. 8.
p. 10.

CAPUT IV.

PROCATARCTICAE CAUSÆ.

S. IV.

PROCATARCTICAE causæ, a quibus hæmorrhoides albæ in corporibus ad eas dispositis frequentius excitantur, sunt in primis

i. *Ingesta* quædam nonnullis in corporibus, hoc morbo jam affectis, illum gravius commovere sunt observata, vel soplum resuscitare, ut a cerevisiæ potu MÜLLERI (a) Rectori eveniebat. Et i. d. GOHLIUS (b) „hæmorrhoidibus albis laborans... me (ait) „consuluit. Circumstantiæ fuerunt sequentes: commisso excessu in assumtis potulentiis sequitur naufragia cardialgia, inappetentia, & excernitur per alvum cum tenesmo „... magna quantitas alblicantis muci nulla „sanguinis micula notati. Vinum mangonifatum ægre fert, cephalalgia, & spasmodico „sinistri hypochondrii dolore hinc statim prehenditur, nunquam adhuc sanguinem mitens:

(a) Vide §. 17.

(b) Act. med. Berolin. dec. I. vol. 4^o sect. 1.
Nro. 49. p. 54.

„tens: ad Væ Sem in pedibus præservative
„instituendam persuasus a me ceteroquin sa-
„nus dimissus est.“

2. Vis externa circa podicem illata. **L** STORCHII (*a*) amicus pede utroque fallente in nates lapsus est, ut præ dolore contusis coccygis vix surgeret, qui et si incessum brevi concessit; in osse tamen sacro, & coxis ne post 3 quidem hebdomadas plane defit. Tandem mane quodam oborto desidendi stimulo cum per assidua negotia ad exonerandam alvum secedere nequiret, atque interea ex terra nescio quid sublaturus pronum flecteret, anus præter voluntatem explosit mucum, quantum vola caperet, lubricum, & consistentia spermati ranarum similem, pauxillo sanguine remixtum, stercorei fœtoris prorsus expertem: quo facto dolor omnis pristinus defit. Post trimestre rufus id genus excretio accidit; abhinc vero non amplius, manifesto indicio ulteriore ad hæmorrhoides dispositionem neutiquam adfuisse.

3. Venus immodica, humorum organum ad organa in pelvi sita concitans. Apud **S. SELIGMANNUM** (*b*) quidam RICHTERI æger onania assidua exhaustus vel vicies per diem subito

(*a*) Obs. clin. ann. 2. Septembr. cl. 4. p. 419. sq.

(*b*) L. c. §. 2. Nro, 2. p. 7.

subito desidere coactus nil nisi materiam albicans
puri similem, interdum sanguinis
stris mistam, & vix $\frac{1}{2}$ cochlear excedentem
egerebat. Ob summam autem alvi obstructi-
onem rheo saepius usus feculentam inde al-
vum reddebat sine muco, & cum levamine.
Cum vero ab aliis morbus pro fluxu celiaco
haberetur, RICHTERUS facta hæmorrhoidum
albarum curatione pristinam ægro restituit sa-
nitatem.

4. *Hæmorrhoides rubræ* instantes vel
prægressæ, vel nimia. Quantum ad instan-
tes „fluxum hæmorrhoidalem“ inquit NEN-
TERUS (a), „probabiliter expectare licet, quan-
do in ætate virili post prægressa varia pa-
themata spleneticō - hypochondriaca varii
spastici circa regionem ossis facri, & lum-
bos dolores in primis cum tenesmode co-
natū egerendi sese exserunt, intercurrente
„sensu rei alicujus duræ (v. g. nuclei) intus
in intestino recto hærentis, imo cum actua-
libus ani protuberantiis dolorificis, quas hæ-
morrhoides cœcas vocant, aut cum excre-
tione muci viscidī instar gummi tragacanthæ
„soluti.“ Et sane G. H. BEHRII (b) Principi-
cholerico accidit in recto intestino dolor
ardens, ac mordax cum variçofo tumore
tene-

(a) Fundam. medicinæ T. I. P. 2. 45, sq.

(b) L. c. Consil. I. p. 2. 7.

tenesmo, & excretione muci primum, dein sanguinis, sicque albæ hæmorrhoides rubris præivre. ALBERTII (a) quoque viro molimina fluxus hæmorrhoidalis rubri mucosum fluxum cum striis sanguineis, & alvi profluvio causarunt. Multo vero sæpius rubrum hæmorrhoidum fluxum quacunque de causa interceptum albus consequi est observatus. Refert M. ALBERTI (b) quemdam aulæ præfectum ab acidularum Egranarum potu legitimum hucusque hæmorrhoidum fluxum experiri deinceps cœpisse insufficientem, atque abhinc hæmorrhoidalibus dejectionibus albis multa cum molestia fuisse vexatum. Idipsum etiam experti sunt ALISCHERI (c) literatus, ac senes HOFFMANNI (d) & ISENFLAMMII (e). Ab hac eadem causa serpiginosæ quandoque hæmorrhoides oriuntur; nam ALBERTII (f) femina vegeta, activa, & plethorica, hæmorrhoidalem fluxum experta, postea quolibet fere mense præter anomala ac magis dolorifica catamenia serpientes ani, & manationes
hæ-

(a) Vide §. 19.

(b) Diff. de hæmorrhoidum prudenti therapia per acidulas & thermas. §. 5. p. 15.

(c) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. b).

(d) Vide §. 16.

(e) Ibidem.

(f) Diff. de hæmorrhoidib. albis §. II. p. 261.

hæmorrhoidales cum torminibus, ac semi-ischiadicis tensionibus nata est; quod malum sensim adeo increbuit, ut ex præconcepcta, sed irrita scorbuti, & acrimoniae curatione quasi assiduum evaserit: donec perspecta vera morbi indole curatio idonea morbum sensim ex toto profligavit. Hujus quoque loci est casus, quem narrat R. I. FORTIS (*a*): Ecclesiasticus 38 annum agens eufarcus, usque ad 14 annum vertigines, 18vo malignam febrim passus, 20 anno dolores hæmorrhoidum na-
dus est cum aliquali fluxu alternis, imo quandoque singulis mensibus revertente, & ad 33 usque ætatis annum sibi reliquo, ne regimine quidem observato, ægro equitationibus, longisque itineribus interea dedito, & intensis animi applicationibus indulgente. Tum vero, quod immodicus evaserit fluxus, corpore purgato haustæ aquæ spadanæ; at sine fructu, forte ob equitationes continuatas. Mox Aquis-
granenses aquas hausit, postquam paucos dies in chronicam incidit febrem, a qua usu corticis Peruv. est liberatus. Interea tumor exiguus, durus in lumbis emersit, non abolen-
dus, sed jam crescens, jam denuo decre-
scens. A 35 demum ætatis anno coepit cum hæmorrhoidalì sanguine mucosam egerere ma-
teriam, quandoque sine sanguine etiam pro-
de-

(*a*) Conf. & resp, med. T. 2. Cent. 3. Cas. 10.
p. 325.

deuntem, quæ primum sub alvi tantum nixibus, postmodo vero sine ullo etiam conatu reddebat. Cumque hæc omnia ad 37 annum sine sensibili coloris in toto depravatione durassent, ac 37 anno sanguis ex tuisa bis vena ferosus admodum fuisset obtensus, data **R**a coralliorum. Nullum ab his levamen. Anno itaque 38 denuo facta corporis purgatio, pota **V**a Tettutiana, data martialis, bisque tusa vena, quod corporis color jam cœperit vitiari; sed ab his lœdi se magis æger sensit, idque tanto etiam magis, ubi non multo post serum lactis, deinde aquas Villenses, & balneuni aquæ dulcis usurpasset; namque sanguis nunc ano profluens licet primis guttulis ruber, & consistens appareret, mox tamen prorsus ferosus sequebatur, imo sola cruenta tintura cernebatur. Languor invaluit cum difficiili progressu præsertim per acclivia. Subinde vertigo, crebro autem trepidationes aderant. Interdum diarrhoea ferosa, cruda. Jamque pedum occipit oedema, & æger de pondere stomachi querebatur. Tactui occurrabant obstructi mesenterii signa. Constatbat nihilominus adhuc appetentia, somnusque, & subinde copiosum lotium redditum levamen afferebat. In hocce casu mucosas hæmorrhoides rubris a nimia vasorum laxitate, quam immodicus sanguinis induxit fluxus, supervenisse veri est longe simillimum.

CAPUT.

CAPUT V.

PROXIMA CAUSA.

§. V.

PROXIMA *causa* hæmorrhoidum albarum ha-
ctenus non ita liquido demonstrata est, nulla
ut laboret ambiguitate; hinc non una etiam
circa illam pathologorum opinio: tres enim
fere sunt sententiæ, in quas illi diversi abe-
unt. Alii enim hunc fluxum ad anastomosin
arteriarum hæmorrhoidalium referunt, quæ
mucoso sero tantum, non item sanguini etiam
überiori saltem, transmittendo sufficitat. Mo-
menta hujus opinionis præcipua sunt: quod
mucoso striæ sanguinis sæpenumero insint, haud
secius ac in sputis peripneumonicorum; quæ
a finibus arteriarum pulmonalium exprimun-
tur; tum quod mucosus hic fluxus rubrum
præcedere, ac sequi soleat, quemadmodum
leucorrhœa menses rubros ex arteriis oriun-
dos præcedit, sequiturque: tum denique,
quod succedens sanguinis profluvium mucoso
huius fluxui finem imponere observetur. Verum
tria hæc ut ut vera (*a*), præterquam quod
in vénis perinde ita evenire valeant, insuper
&

(*a*) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. a) S. 4. Nro. 4.
§. 20.

& illud adversus arteriarum anastomoses pugnat, quod autopsia docuerit, materiam mucosam, serosamque ex venarum hæmorrhoidalium varicibus sponte, arteve ruptis profluxisse (*a*), quemadmodum sanguis ruber alias inde profluere consuevit. Alii vero fluxum hunc malunt ad mucifera intestini recti vasa, tamquam propria muci organa, rejicere, qua in sententia DELIUM (*b*) fuisse (nisi quis alius schediasmatis excitati Auditor sit) constat, scribentem: „sunt etiam hæmorrhoides albæ dictæ. Hæ consistunt in magis; minusve dolorifica, ac tenesmode egestione muci lubrici, ac aliquatenus lenti, „qui jam albidus, jam striis cruentis interstinctus est: quod posterius quo uberior „præsto est; eo magis excretio dicta ad originem hæmorrhoidalium vasorum & cum his „nexorum est referenda; quod si vero mucus „magis albus est, indicium est, scaturiginem „illius esse potius lacunas, plicasque internæ „tunicæ recti, quippe qui mucus isthic alioquin uberior esse debeat ad superficiem intestini ab irritatione sordium intus contentarum defendendam, assiduoque humectandam. „Quo itaque sanguinis impetus in vasa hæmorrhoidalalia major est; eo plus hujus muci „præ-

(*a*) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. b) & §. 32.

(*b*) Fränk. Samml. 7. Band. 42. Stück Nro. 1.
p. 502.

„præsertim in corporibus phlegmaticis, & ad
 „mucositatem pronis poterit fecerni, excer-
 „nique, atque ita hæmorrhoides albas pro-
 „ducere.“ Verum tametsi mucifera vasa ad
 fluxum hæmorrhoidum albarum quidpiam
 conferre possint; omnis tamen illarum ratio
 sufficiens iis in vasis quærenda haud videtur;
 nam nec feri, quod muci loco interdum pro-
 dit (a), profluxum ex iis repeti potest, nec
 utriusque copia sæpe enormis (b); præser-
 tim cum (ut jam dictum) autopsia ipsa con-
 stet, mucum alias, alias serum ex varicibus
 venosis sponte, arteve ruptis profluxisse. Hinc
 denique alii hæmorrhoides albas una cum ru-
 bris ad venas referre maluerunt, earum nempe
 rhexin a sanguinis in mucum anteversi disten-
 tione. Sanguinem enim rubrum in humorem
 lentum, ac viscidum & albicanter degene-
 rare posse docet nos chlorosis. Dum ergo
 ob difficultatem succendentis fluxus hæmo-
 rrhoidalis rubri sanguinem contingit stagnare
 in vasis; facile vel in ipsis adhuc finibus ar-
 teriarum, vel ipsis jam venis hæmorrhoidalib-
 us in humorem albendum, lentumque abire
 poterit, qui e ruptis deinceps varicibus cum
 alvo egeritur. Facile hinc etiam ratio stria-
 rum, grumorumque sanguinis in muco repe-
 riundorum reddi poterit. Degenerare hic san-
 guin-

(a) Vide §. 2. II, B. Nro. 1. b).

(b) Ibidem Nro. 2.

guinem in mucum jam vero simile d. SEN-
NERTO (a) visum est, quem & s. SELIGMANN
(b) secutus, cui causa hujus morbi „proxima
„ . . . consistit in sanguine spissō, stasi, &
„mora in vasis hæmorrhoidalibus in mucum
„everlo, & vasorum lymphaticorum ani tono
„amisso, ut hæc minus reniteant seri; quam
„vasa sanguinea sanguinis exitui.“

CAPUT VI.

SYMPTOMATA.

§. VI.

SYMPTOMATA *hæmorrhoidum albarum* sunt prorsus eadem, quæ rubrarum: nisi quod ob assiduitatem, & quod a tempore ipso incrementa capiant, sint molestiora, & sæpe etiam graviora. Cum enim fluxus hic sit tantum rubratum hæmorrhoidum aliquatenus vicarius, perfectaque vasorum infarctorum exoneratio fere nunquam contingat, congestioque humorum continuo iterum fiat; ob stases nunquam non præsentes etiam assidua aderunt ad excre-
tio-

(a) L. c.

(b) L. c. §. 7. p. 9.

tiones molimina, illorum prorsus similia, quæ in rubris obtinent. Horum autem symptomatum unum præprimis est, quod hic plurimas parit molestias, & ægros pene ad desperationen adigit, frequens videlicet, acerque *tenesmus*, mucosis hæmorrhoidibus quodammodo proprius, qui quantus hic sæpe sit, ex omnibus aliis vel maxime documento servient duo senes; HOFEMANNI (*a*) unus; alter ISENFLAMMII; (*b*) tum RICHTERI (*c*) æger, SEGNIZII (*d*) vir, ac STAHLII (*e*) femina. Hocce enim sublato reliqua symptomata ægri non usque adeo graviter ferrent.

CAPUT VII. DIAGNOSIS.

§. VII.

DIAGNOSIS isthic *relativa* vel maxime est necessaria, cuius ope hæmorrhoides albæ ab aliis

(*a*) Vide §. 16.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Vide §. 4. Nro. 3.

(*d*) Vide §. 16.

(*e*) Vide §. 2. II. B. Nro. 3.

aliis affinibus morbis, præsertim scabie ani venerea, ulcere ani, diarrhœa, dysenteria, cœliaca passione rite discerni queant; ne forte alia, quam quæ in hæmorrhoidibus est solennis, adhibita medendi methodo æger non modo non sanetur; verum lædatur etiam magis.

§. VIII.

I. *Scabies ani venerea*, & serpiginosæ variculæ ani (a) eatenus ab se dissident, discernunturque, quod & causas prægressas habeant disparatas, & serpigo dicta conjuncta sit cum reliquo symptomatum hæmorrhoidalium comitatu, qui in syphilitica scabie adest. Quod si vero æger venercus simul sit, phænomena saltem hujus labis non symbolisant cum serpagine dicta, quam præterea usus non eradicat.

§. IX.

II. *Ulcus recti*, aut ulterioris tubi intestinalis ab hæmorrhoidibus albis in pluribus discrepat; namque

I. Cau-

(a) Vide §. 2. II. A. Nro. 2.

1. Causa ulceris manifesta, ut est inflamatio (præsertim furentium hæmorrhoidum) &c., præcedat, necesse est.

2. Materia excreta omnes puris vel probi vel pravi dotes præsefert, si ab ulcere provenit; omnia vero contraria sunt in nostro morbo.

3. Symptomata ulcerum ab hæmorrhoidibus & numero, & loco, & indole differunt: idcirco, prout hæc, vel illa adfuerint; morbum etiam suæ prosapiæ adesse arguent.

§. X.

III. *Diarrhœa* perinde a nostro morbo in pluribus diffidet; enim vero illius

1. Causa prægressa est singularis, ac manifesta; tum etiam

2. Materia egeritur uberior, fluidiorque, serosa, aut biliosa, aut aliis indolis.

3. Tenesmus, aliaque hæmorrhoidalalia symptomata, quæ muci hæmorrhoidalis egestionem præcedere solent, in diarrhœa absunt, & si forte tenesmus adfit; nec tantus, nec tam diuturnus esse consuevit.

4. Le-



4. Levamen ab egestionibus nullum consequitur, in diarrhoea, quod tamen in haemorrhoidali malo est manifestum. Interea tamen accidit, ut ambo hi morbi complicentur quandoque, ut in KREBSII (a) viro: sed levamen praegressorum symptomatum ad censem haemorrhoidalium pertinentium ad singulas fere dejectiones observabile, & mucus haemorrhoidalis in excretis praesens omnem ambiguitatem hand difficulter solvunt.

§. XI.

IV. *Dysenteria mucosa*, in qua mucus eruore striatus cum tenesmo egeritur, haemorrhoidibus albis maxime est affinis: hinc nil mirum, has cum illa non raro fuisse confusas, id quod celeberrimo sua etate pratico Italo B. SILVATHO (b) accidit, qui sequentem casum de diarrhoea, *dysenteria*, & tenesmo inscripsit: „vir generosus etatis annorum 46, „sanguineus, boni habitus, floridoque vultu, „ventriculo satis firmo, hepate fervido, pro-„miscua usus vivendi ratione, ac peregrina-„tionibus fatigatus haemorrhoidum fluoreni „dies aliquot passus est, a quo gravius nihil „accidit. Tribus abhinc mensibus diarrhoea

§. fa-

(a) Vide §. 31. Nro. 2.

(b) Consil. & resp. med. Cent. 2. Caf. 99.

„satis profusa dies aliquot sine dolore corri-
 „pitur, a quo tempore postea ante 7 hebdo-
 „madas observavit sanguinis quidpiam sine
 „dolore in dejectione naturali: cuius causa
 „infusum rhabarbari, & clysteres ex lacte fu-
 „erunt præscripta, nihil tamen remittente
 „malo. Verum paulo post sanguini immixta
 „effluxit materia alba glutinosa cum nigro in-
 „terdum adusto, & coagulato sanguine a fe-
 „cibus sejuncta, sine dolore insigni, pauca
 „semper copia: quin imo quandoque a prima
 „desidendi cupiditate guttatum, quandoque
 „ad $\frac{1}{2}$ cochlearis vel ad summum unius men-
 „suram. Alvis interim suppressa dum injec-
 „tionibus plurimum solicitatur; dolor nullus
 „percipitur, sed fervor solum quidam in ex-
 „cretis æqualibus plerumque. Interdiu tamen
 „materia hæc sèpius ejicitur sola sine molestia,
 „adeo ut consueta munia obire valeat, to-
 „leretque etiam nunc vectari curru, & equi-
 „tare. Sub medianam vero noctem, quando-
 „que prius, dolor dorsi, seu potius ossis
 „laci profundus, qui taetu neutiquam exa-
 „cerbatur, nec rubore, aut tumore se pro-
 „dit; licet patiens corpus exerceat. Vige-
 „simo primo Martii, præmisso rhabarbaro,
 „e mediana missus fuit sanguis, a quo in su-
 „ris dolor nullus, qui nunc ante triduum
 „noctu invaluit. Clyster quoque anodynus,
 „& sanguinem sistens sine dolore injectus me-
 „diaz horæ spatio si contineatur; dolor soli-
 „tus tota nocte in auroram usque affigit, at-
 „que

„que vicies, & s^epius etiam nullo clystere
 „admisso sine aliorum excrementorum, aut
 „serofæ illuviei permixtione materia cruenta,
 „tenaxque alvo excreta, quæ 2. 3. 4ve co-
 „chlearia non excedit; ceteris excrementis
 „interim omnibus suppressis. Fluxus quan-
 „doque unum, alterumve diem remittit, sed
 „mox recurrat. Venter initio quidem visus
 „est intumescere, nunc recte se habet.“ Ec-
 quis autem non videt, nihil hic dyenterici;
 omnia contra esse hæmorrhoidalia? Sed ætate
 illa, qua hæc edebantur (A. 1656), nil ad-
 modum de hæmorrhoidibus albis præter le-
 vissimas conjecturas tenebatur. Hodie vero
 dysenteria mucosa, seu alba sat promte, fa-
 cileque ab invicem dignoscuntur, ut in AL-
 BERTII (*a*) casu factum est; etenim dysente-
 ria, ut recte notat SELIGMANN (*b*),

1. Acutus est morbus (chronicæ hæmo-
 rrhoïdes albæ), &

2. Epidemicus plerumque, ac

3. Symptomata propria habens, præpri-
 mis febrim acutam; dum in albis hæmorrhoi-
 dibus & alia prorsus symptomata adiunt, &
 febris aut nulla, aut certe chronica lenta.

4. Le-

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Diss. cit. Sæc. 2. §. 2. Nro. 2.

4. Levamen a dejectionibus nullum in dysenteria; evidens vero in hæmorrhoidibus albis.

§. XII.

V. Cœliaca denique passio, non ut eam quidem R. A. VOGEL (*a*) perperam descripsit; sed quæ hodie vulgo intelligitur, cum hæmorrhoidibus albis perinde ab ignaro confundi posset; a perito tamen haud ægre discernitur; siquidem

1. Chylum, non mucum evehit, majori etiam copia, statisque a pastu horis.

2. Maciem citam cœliaca; lentam hæmorrhoides albæ causant.

3. Symptoma sibi propria habet, absentibus hæmorrhoidum albarum, præsertim tenesmo illo crebro.

4. Causas quoque ambo hi morbi diversas habent, &c. Quantum autem ad VOGELI cœliacum fluxum attinet, multa sunt, quæ persuadent, eum nil aliud esse; quam ipsas

(*a*) Diff. in qua fluxus cœliaci genuina notio, atque ratio exposita 4to. Göttinge 1768.

ipsas albas hæmorrhoides male a veteribus
cum cœliaca chylosa (quam ob chylōpoiesin
ignoratam non satis discreverant) confusas.

CAPUT VIII.

PROGNOSIS.

§. XIII.

I. CURABILITAS morbi hujus ab ejusdem habitu, & causa pendet; si enim hæmorrhoides albæ rubrarum sunt præludia; his apparentibus illæ desinunt, ut in BEHRII (*a*) Principe; si vero albæ a rubris repressis, vel erumpere non valentibus ortæ perstent, habitualesque evadant, dejectionibus factis assiduis, manentibusque symptomatis, imo & ingravescientibus, tunc æque; ac leucorrhœa habitualis difficultem admittunt curationem, sed inducta sensim cachexia mortem, ut dicitur, afferunt. Quam ardua sit sæpe hujus mali curatio; documento serviet casus s. SCHAARSCHMIDTII (*b*) consulti pro Ecclesiaste

(*a*) Vide §. 4. Nro. 4.

(*b*) Medic. und chirurg. Nachrichten. 6. Theil
Nro. 27. p. 248. sq.

siaſte 42 annorum, qui ab anno 25. identidem hæmorrhoides cœcas perpeſſus eſt multo cum preſſivo hypochondrii lœvi dolore. A 4 annis morbus admodum crevit ſpasmodicis cum ſymptomatibus non ferendis; nunc autem quo-
vis mane vehementes ſpasmodicæ tensiones per totam ſpinam dorsi uſque ad occiput ve-
xabant cum gravi circa os ſacrum preſſione,
& a non brevi jam tempore quotidie per al-
vum prodibat humor albus platiſticus, ſedent-
tique etiam podex madescebat. Præcedebant ſemper egestionem vehementiſſimi ſpazi ab-
dominales, anxietates, tremorque totius cor-
poris, maxime manuum, proclivi tunc ſimul
ægro ad iram, terrorem, ac metum; quæ
tamen ille ſolicite vitabat, reprimebatque.
Non obſtantे vero dicta excretione hæmo-
rrhoïdes cœcæ a 14 diebus etiam aderant,
non tam dolentes; quam valde pruriētes,
quæ tamen ſponte iterum evanuere. Aeger
quidem ſemestri quovis Væ Sem iſtituit,
identidemque ḥes STAHLII tam nitroſos,
quam absorbentes capiebat, uti & pilulas
eiusdem, tum HOFFMANNI elixir viſcerale,
ac liqu. anodynum, & a 4 hebdomadis inſu-
ſum quoque ex veronica, betonica, meliſſa,
& cortice ligni ſaffraſas hauriebat; verum
omnia ſine levamine. Aeger cetera non obe-
ſſus, magnis præditus venis, ad ſudores pro-
nus, bene appetens, dormiensque diætae
fuit obſervantissimus; alvus ei libera ſemper
fuit, imo ſaρe leviter fluxa, ita ut mane ter,
qua-

quaterve dejecerit. Si unquam hic vir consanatus est; id profecto non exiguo tempore, levibusque remediis obtinuerit.

§. XIV.

II. EFFECTUS porro ab hoc morbo oriundi boni sunt alias; alias pravi, prout nempe ille aut ex toto aut aliquatenus tantum fluxum rubrarum hæmorrhoidum compensat; si enim istum ille non ex toto compensat, nil aliud est; quam insufficiens, ac pene inanis naturæ conatus ad infarctus p. n. vasorum hæmorrhoidalium tollendos: queis perstantibus symptomata illum præcedentia non modo non aboleuntur, nisi pro exiguo tantum tempore, paulo autem post eadem vehementia reversura, sed etiam graviora sensim oboriuntur, quæ ad mortem ducunt: sin vero fluxu hoc albo ruber omnino compensatur, ac p. n. infarctus vasorum proslus pro tempore saltem longiori tollitur, symptomata tum præcedentia cessant; tum alia præpediuntur. Effectus itaque ab hoc fluxu præcipui sunt.

§. XV.

I. *Symptomatum abolitio.* Insignem hujus comatis casum refert I. STORCH (a):
puella

(a) Obs. clin. ann. 6. Maji cl. 2. p. 569. sq.

puella 30 annorum sanguineo-melancholica tempore mensium spasio epileptico per paroxysmos vexabatur, quos stimulantia ex castoreo, & uammon., &c. exacerbabant: horum itaque in locum datus $\ddot{\text{E}}$ is absorbens indicias 4 horarum dedit, ac postridie paroxysmus deferuit. Die 4to prior medicina sumta insultum revocavit, post quem data M^{ra};

R. R^æ rhei electi 3*fl.*

Liqu. V^æ. fol. L⁺ri 3*fl.* M.

D. ad binas doses absumentum; unde alacris ægra nil nisi phlogoses adhuc, alvumque obstruetam sensit. Iteratae ergo M^{ra}æ dimidium mane, residuum a meridie porrectum, simulque $\ddot{\text{E}}$ is antispasmodicus ante meridiem, & vesperi exhibitus, & globul. sacchar. mosch. pro suppositoriis adhibitis vesperi alvus referata. Interea die 5to referebat ægra se sub, ac post hesternam alvum naetam esse tuberculum haemorrhoidale cum tenesmo, neque abhinc quidquam amplius epileptici rediisse, hujus autem loco borborygmos, & aliquas anxietates ingruisse. Sub M^{ra}æ autem, ac $\ddot{\text{E}}$ um usu die 6to occepit dolor in dextro crure, pedeque: eapropter M^{ra} semel, semelque $\ddot{\text{E}}$ is datus. Die 7mo excrevit alvo inter dolores, & ardore mucum cruentum: unde dolor evanpit. Continuatus $\ddot{\text{E}}$ is. Die 9no ægra symptomatum expers, tantum dum lectum reliquit, leves horrores, ac post hos fugacem estum passa est.

R. M. P. BECHER. 3ij.
— purgant. 3ß. M. F. pil.

S. 4to quovis die gr. x. vesperi.

R. TRÆ. flor. papav. rhœad.
Liqu. anod. min. 2a 3ij. M.

S. quotidie m., & v. gtt. 30. Die 12mo un-
dique bene habenti consultum, ut post 8 dies
Væ So in pede fiat; quo facto constanter
sana mansit. Perinde (a) quadragenarius qui-
dam a multis jam annis indicia scorbuti, ac
molinina hæmorrhoidum passus, ubi recurren-
tibus solidis imi dorsi doloribus sumta pilu-
larum Auctoris dosi mucum cruentum egere-
ret; ad eum promovendum data M. P. BE-
CHERI. 3ij. purg. 3j eo cum successu, ut cum
dudum ante pro phthisico haberetur ob ma-
ciem, ab anno carnes utcunque resumferit,
& abbinc pauca tantum, leviaque sympto-
mata toleraverit. Eodem cum levamine seri
spontanea excretio in HOFFMANNI (b) ægris
accidit. Plura hue facientia paulo inferius
(c) etiam visuri sumus.

§. XVI.

(a) Ibid. ann. 7. Septembr. cl. 4. p. 229.

(b) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. b).

(c) Vide §. 31. 32.

§. XVI.

2. *Ulcus intestini recti*, quod mucus, diu in vasis maxime distentis stagnans, mora, & calore loci corruptus, acerque factus vicina lente erodendo inducit. Hinc **DBLIUS** (*a*) de albis hæmorrhoidibus agens „status „hic (ait) non est optimus; quandoquidem „per crebras muci in plicis intestini conge- „stiones facile stases & ulcerationes, imo & „fistulæ, nec non species scabiosæ crustæ in- „ternam recti superficiem obtengentis, qualis „sæpe externe molesto cum pruritu accidit, „enasci possunt.“ Et vero experientia verum id esse jam dudum, ac sæpe edocuit. Sic **I.** **F. ISCHNFLAMMII** (*b*) vir 60 annis major, „gracilis ac valde stricti corporis, facie e vi- rore flavescente, parte hæmorrhoidario geni- tis, exæcta in laboribus, itineribusque sub vario vietu citra graviores morbos juventute ubi adultam attigit ætatem, partis opibus vi- tam quietam, ac sedentariam amplexus variis jam malis affligi cœpit, at levioribus primum, & cum induciis, idque per plures annos, priusquam medici sibi auxilio opus esse judi- casset. In gravescente demum ægritudine Au- ðorem media æstate 1769 consuluit, referens a multis retro annis hæmorrhoides sibi moderate fluxisse, ordinateque & cum euphoria; a tri-

(*a*) L. c.(*b*) Nov. act. nat. cur. Tom. 5. Obs. 43.

triennio vero, ubi parcus, rariusque fluere
 cœpissent, ac minori cum levamine, sanitatem
 cœpisse labefactari in dies magis. Abdomen
 sèpius, maxime in hypochondriis, in miram
 tensionem, ac duritiem inflabatur, sed brevi
 evanescerent, editis nempe ore, anoque
 flatibus cum levamine. Appetitus jam sat
 bonus aderat, jam nullus; fatis absfuit. Alvo
 interdum uno, eodemque die jam stercore,
 jam lubrica, & aquosa, jam cibos semicoctos
 egerebat. Sub midu quandoque, at raro,
 in collo vesicæ obicem quendam sentiebat,
 ut majori nisu ad mejendum opus fuerit: urina
 alias copiosa, parcissima alias fluxit, semper
 pallida, ac sublactea cum sedimento velut
 chyloso. In inferiori coli flexura sensus pon-
 deris aderat. Molestissima vero illi fuit alvi
 quædam incontinentia, qua sine præviis tor-
 minibus flatum exclusuro illico simul invito
 erumpebat vel pituita vitrea subcruenta, vel
 ut plurimum materia aquosa tenuis, ȝ non
 excedens, idque ultra quinquagies diu, no-
 etuque. Pulsus naturalis, at parvus, debi-
 lisque repertus; libera spiratio; integræ fun-
 ctiones animales; labia, ac palpebræ internæ
 sui parte pallidissimæ. Ad obſtructiones ergo
 referandas, mucum abſtergendum, primas
 vias roborandas dari cœpta lenia abſtergen-
 tia, aperientia, amaricantia, roborantia, car-
 minantia, rheum, ♂, cortex, externis quo-
 que hand neglectis, eo ſucceffu, ut ſub diu-
 tino horum uſu fluentibus, parce licet, quo-
 vis fere mense hæmorrhoidibus æger ſummo-
 pere

pere alleviatus æstatem A. 1770 sat commode exegerit, & a potis tunc Spadanis aquis usque adeo in melius profecit, ut receptis viribus, appetentia, emendato multum faciei colore, œdemate pedum plurimum imminuto, ac hypochondriorum inflationibus fere penitus silentibus, prorsus se convaluisse crediderit, sola illa alvi molesta quasi incontinentia post omnia remedia assunta superstite cum intercurrente subinde leviori dysuria, epithemate tamen pubi admoto magnopere levanda. Pergebat itaque in usu remediorum. Ast media æstate alvum redditurus immanem sanguinis copiam in matulam excernens corruit semianimis, lectuloque illatus pallidissimus, frigidus, præ debilitate vix fari valens, cum pulsu celeri, minimo, vermiculari, stillante adhuc ex ano sanguine. Lectus velut a puerpera non solum cruro imbutus, verum & grumis sanguinis fecundatus visebatur, ita ut copia sanguinis amissi ad $\text{H}jv.$ vel $v.$ medicas æstimata sit. Priorum loco nunc interea sola cardiaca, analectica, ac roborantia imperata, quorum usu paulo post hæmorrhagia sopita, ægerque recreatus per paucas horas lectum deferere potuit. Abhinc pristine illa alvi molestia multo jam rarius affligebat, lotiumque promtius excernebatur, at cum aliquo sub mictu sibilo, & flatu subinde etiam extra mictum per urethram erumpente. Paucis post diebus urina sæpius per diem emissâ sat copiosa, cruenta observabatur,

sub-

subsidente sensim fere $\frac{1}{2}$ parte sanguinis. Sequentibus deinceps diebus urina prodibat foetidissima, turbidissimaque, post brevem quietem $\frac{1}{2}$ sui partem sedimenti deponens vere stercorei; ex quo tempore alvina illa incontinencia desit, alvusque satis hactenus ingestis respondere solita nunc parcius multo succedebat. Satis jam liquebat, dudum ante latuisse ulcus in confiniis recti, ac vesicæ, quod sensim erosio utriusque tunicis eorum contentis ultro, citroque transitum concedebat, ac primum quidem lotio ex vesica in rectum (quod aquosa illa frequens ac molesta excretio docebat), quamdiu hiatus fuit minimus; hoc autem amplius patefacto etiam stercorei, flatibusque ex recto in vesicam. Remediis quibusvis incassum adhibitis æger post paucas hebdomas vivere desit. Ejusdem quoque eventus casum refert I. G. SEGNITZ apud A. B. BÜCHNERUM (a): vir 40 annis major, juvenis æque, ac vir jam multa fatigia perpresso, ut præ industria laborum sæpe multos per dies vel nil, vel parum liquidi hauserit, 24ta Febr. 1728 querebatur medico, se inde 4um jam in annum varia pati incommoda, præterim crebras, ac subinde in 8, & plures dies durantes, tamque vehementes alvi obstructiones, ut inde aliquoties pene iliacam passionem incurriterit; in præsenti vero molestam esse omnium artuum

(a) Miscell. phys. med. A. 1729. April. cl. 4. art. 7. p. 266. sqq.

tuum debilitatem, cephalalgiam, stomachum
 male affectum, dolores dorsi, & abdominis
 sat indurati fere intolerabiles, alternantia pe-
 dum cedemata, & quandoque ischuriā, ma-
 xime vero se ab assiduo defatigari tenesmo,
 noctu præsertim lacefente, adeo ut cum intra
 $\frac{1}{4}$ horæ quater ad sexies invadat, omnem
 quietem, viresque tollat; vi cuius tamen
 raro stercus; sed plerumque mucum vel fus-
 cum, vel fæpius album, subinde sanguine
 striatum egereret. Symptomata alia ultra se-
 mestre; tenesmum vero diutius etiam, cum
 induciis tamen, adesse. Ad alvum referan-
 dam aperientia, plurimumque aloeticas pilu-
 las, ad leniendos autem dolores anodyna se-
 nsurpassa, levatumque his ab ulteriori absti-
 nuisse medicatione. Nulla manifesta fistulæ
 ani indicia exploratione detecta esse; verum
 potius a continuante dies aliquot muci ex-
 cretione deinceps ejusdem remissionem, & in-
 signe symptomatum, dolorumque sequi leni-
 men. Aliquando etiam tuberculæ aliquot hæ-
 morrhoidalia circa anum emersisse cum ardore;
 at brevi iterum post evanuisse. A data pri-
 mum essentia aperiente, ac depurante, &
 TRa antispasmodica post aliquot dies dolor
 caput, artusque reliquit, ac tumor femorum
 decrevit, appetitus increvit; usu vero infusi
 ex herb. meliss., veron., beton., summit. mil-
 lefol., scord., marub. albi etiam colica lenie-
 batur, tenesmusque factus tolerabilior. Sub
 ulteriori emendatione varia molimina hæmo-
 rrhoidum oborta indicabant tonum primarum
 viarum, ac viscerum esse restaurandum, al-
 vum

vum apertam tenendam, sanguinem fluidiorem pro hæmorrhoidum excretione reddendum. Martii 21 vesperi datus pil. bals. BRECHER ðß, ac postero mane salis amari Sedlic ðjv: unde 9. dejectiones, ita levantes, ut æger interdiu sat diu extra lectum esse quiret. Nocte diei 25æ abdomen magnopere intumuit, cum majoribus solito doloribus; & licet inde a cathartico alvus manserit aperta; post aliquot tamen horas tanta alvina excretio secuta est, ut intra horam plus cantharo aquoso exierit lymphæ glutinis instar viscosæ cum integris muci frustis. Aeger quidem inde languebat; sed somnus aliquot horarum vires refecit. Venter durus, & expansus subsedit, æger optime habuit. Die 31. ob alvum biduo clausam dati denuo salis Sedlic. ðjv. illa die aliquoties alvum leniter solverunt; postridie autem alvo solito sæpius urgente egerebantur massæ juglandem vel æquantes, vel superantes etiam, multo exterius fusco, alboque obductæ muco, quo separato reliquum erat grumosus, prorsusque corruptus sanguis. Hæc autem excretio sine ullo medicamentorum usu, præter dictum infusum, & pil. polychrestar. HOFFM. gr. 5. vesperi data, durabat dies aliquot, plenaque vascula similium massarum colligebantur citra sensibilem virium imminutionem, imo cum insigni gravium dolorum remissione. Ubi autem haud multum jam sanguinis hujus grumosi reddebat; sincerus sanguis per 2 vel 3 dies egredi cœpit; unde non tantum dolor plurimus desit, sed tenesmus quo.

quoque pene omnis cessavit, ut æger & ob-
ambulare in conclavi, & plus quoque cibi
sumere potuerit. Verum peccando in diætam
denuo stomachum læsit, ac 15. Aprilis femur,
quod fere jam prorsus detumuit, rursus infla-
tum est; internis tamen resolventibus, & bal-
samicis denuo restitutum. Finiente Aprili
pertinax alvi obstrœctio accidit, & sub incre-
mento colicæ a flatibus vehementer sonus, ac
si plena dolia lapidum exonerarentur, ede-
batur, jam ante conclavis januam exaudiendus,
quo finito aliis velut aquæ plenis ex
vasis cum strepitu effusæ, & instar variorum
animalium audiebatur, infuscatis molestis ru-
etibus, & quandoque etiam oolidis vomitibus.
At salia aperientia data alvum intra 16 horas
referarunt. Lapsis 4 hebdomadis, ex quo
primum sincerus prodiit sanguis, multum ite-
rum sanguinis grumosi, mucoque obducti in
massis ad 8 dies egrebatur citra remedia pel-
lentia, & post 5 hebdomades die 7a Maji suc-
cessit alvinæ dejectionis tempore cum levamine
doloris, ac tenesmi sanguis purus, ac flo-
ridus, at non nisi per 1 ½ diem, nec abhinc
unquam fluxus hæmorrhoidum induci potuit
ordinatus: dolores quidem dorsi, & abdo-
minis abhinc fuere leniores; verum tenesmus
aliquanto post revertus omnem arcuit quie-
tem, nec externis, nec internis cum con-
stantia domandus. Unde labantibus in dies
viribus status cacheæticus crevit. Præter su-
pra dictum mucum albo ovi similem, & saepè
sanguine striatum nunc etiam copiosius ichor
fu-

fusca, & acer excrenebatur, ut copia hujus faburræ excesserit assumta, increscente simul pedum tumore. Aliquoties obstructio alvi cum ante dictis symptomatis occipiens mature iterum solvebatur; semel tamen vomitus accidit, quo marcidæ rapæ ab ægro ante 14, & amplius dies comestæ prorsus indigestæ fure excussæ, utrū alias etiam observatum est, indigestiles cibos multas per hebdomadas in ægro mansisse, alios vero multo serius assumtos longe citius, ut ut perinde plurimum non digestos, alvo exiisse. Cum vero ob naufragium toto mense remedia simul respuisset; vires ad eo collapsæ sunt, ut mox ubi lectum reliquit, lipothymiam incurrit. Querebatur porro admodum de oculorum caligine, nullas ut sœpe literas discerneret. Julii 11. angina spasmodica cum globo hysterico dicto oborta non modo omnem deglutitionem; sed sœpe etiam loquela intercepit, quam notabilis copia cerasorum acidorum comestorum causavit, & quam usus antacidorum, & antispasmodicorum post biduum lenivit, simulque dein aliquot cerasa integra multo muco obvoluta alvo redditæ. Haec tenus pedibus tantum tumentibus artus superiores prorsus extenuati erant; sed 14. Julii spatio noctis brachium lœvum tumore ad oculum fere crescente sub atrocibus doloribus correptum, & ad usus plane ineptum factum: verum fotus, & sacculi ex herbis leniter resolventibus, ac doses aliquot 3*ii* diaph. datæ cum dolores brevi lenivere; tum eriam tumorem minuerunt,

TRNKA Hist. Hæm. Vol. III.

D

runt,

runt. Sanationis autem spes omnis evanuit accedente præsertim 18 Julii constanti alvi incontinentia non emendanda nec restituendo tono sphincteris amisso, effluente, invito ægro, ichore fusco, aquoso, tam acri, ut omnia subjecta lintea corroferit. Augusti initio ischuria bidui accidit citra ullam anxietatem, abdominisque tumorem, observatumque est saepius per diem lotium purum sine stercore ex ano effluere: unde ulcus vesicæ in rectum hians adesse liquebat. Toto hoc mense æger usque ad 18am languebat admodum, at mentis plane compos, nec doloribus magnopere obnoxius, nisi quod per aliquot dies vehe mens œsophagi spasmus denuo adfuerit, quo licet sublato stomachus tamen fere nihil suscipiebat. Die 18. gravissima colica ingruit, sub qua fatiscentibus sensibus æger inopinata exspiravit. Huic non multum absimilem historiam dat F. HOFFMANNUS (a): vir 60 annorum, olim succulentus, cholericus, antehac hæmorrhoidum fluxui obnoxius, sanguinem saepius cum stercore egerebat cum insigni dolorum dorsi, & abdominis levamine, imo & podagræ crebrioris, ac per 8 hebdomades quandoque infestantis mitigatione, ut vix per unam, alteramve hebdomadam affixerit; nunc vero ex biennali tenebroso assiduo tabescet. Ante aliquot enim tempus alvum semper

(a) Consult. & resp. med. Cent. 2, Casu 23.

per fluidiorem fortiori nisi positurus post sonitum in dorso perceptum largam sanguinis vim cum fecibus excrevit, & abhinc teneamus evasit frequentior, inanis saepe, nec spissius sterlus nisi a durioribus, aut fricis cibis eliciens, sed plerumque mucus duntaxat albo ovi similis, interdum sanguine tintitus, primum prodibat, sequente dein fece duriore, & ovillæ simili. Lienteria nunquam observata. Quandoque solus sanguis coactus crastitie pennarum anserinarum insignem in longitudinem protensus absque scybalis prodibat: nonnunquam purulentum etiam egerebat, quod praesertim sub enematum injectione canulæ adhærebat. Teneamus saepe tam vehemens fuit, ut fex prius; quam æger cloacam attigerit, exiret. Extra desidendi tempora porro regio podicis assiduo plorabat humorem instar loturæ carnium, a quo indusia, ubi siccabantur, ita eliquata erant, ut facillime dilacerarentur. Ante aliquot hebdomades in confiniis ani lividum tuberculum apparuit, sensimque sponte iterum evanuit. Aeger cetera bene appetens, ac digerens vini loco cerevisiam cum euphoria bibebat. Primus ergo medicus bis in hebdomade præbebat ſem ex rhei ♂, saphyri ppt. ♀, ol. anisi gtt. j, iisdemque diebus m., & v. imperavit enemara ex rad. alth., fabar., herba, & flor. verbasci, hyperici, melle ros., & oleo hyperici. Data porro effentia stomachico-the riacalis cum liquore ♂li; anima rhei ♂iata, ſis cachecticus WEDRL., vel elect. ex ſe

cascar., pimpin. alb., ♂lio ♂li LUDOV.,
 electuario bacc. lauri, ▽a cinnam. cydoniata,
 ac tantillo theriacæ ANDROM. paratum vespe-
 ri suntendum; & denique tragea stomachica
 post epulas. Inde tenesmus mitior. Cum vero
 solennis Væ So in pede bis quotannis facta
 nunc a biennio neglecta fuerit, sanguis e
 brachio lævo ad 3jv demtus ater, spissus, im-
 petuose profiliens, ubi refixit, corii instar
 tenacissimus evasit: nihil tamen minus deje-
 diones non plus cruentæ abhinc factæ, re-
 crudescente potius podagra, quam brevi post
 sponte abeuntem vehementes lateris lævi pun-
 cturæ exceperunt cum dispnoea fere ad suffo-
 cationem; quæ tamen crebris pectoris frictio-
 nibus calido linteo factis brevi remittentia
 uberi alvi profluvio solvebantur cum eupho-
 ria, somno facto quietiore, tenesmoque im-
 minuto. Assidui tamen borborygmi sine fla-
 tuum elisione, urinaque citrina, in superficie
 spumosa, in medio nubeculosa, sine sedimen-
 to, priorum usum sualere; nisi quod pro ♂e
 stomachico data essentia pimpin. alb. cum es-
 sentia ambræ, & guttis aliquot bals. Δris ani-
 sati remixta guttatim sine vehiculo sumenda,
 & pro potu theato summitates millefolii præ-
 scriptæ. Tandem consultus Auctor respon-
 dit, adesse ulcus recti, & imi coli, quod
 neglecta idonea medela callosum etiam eva-
 serat, nec spem superesse sanationis. Terri-
 se exemplo Judæi omnia eadem cum ischiade
 insuper passi in 8 annos, qui demum atrophia,
 anorexia, colicisque supervenientibus tandem
 hec tica

hectica consumtus perierit. Idcirco palliativa duntaxat remedia præscripsit; a quies etiæ æger emendari primum videretur; tamen brevi post recrudescente malo post 5 menses hecticus extenuato superiori corpore, pedibus autem oedematosis factis, vivere desit. Neque alium exitum noctus fuisse videtur E. GOCKELII (a) vir consularis 63 annorum, raræ texturæ, & a teneris ad sudorem pronus, alvique obstructioni usque adeo obnoxius, ut magno semper nisu, & ano protuberante illi fuerit exoneranda: unde tandem tubercula in ano enata avellanas magna. Post hæc ante 13 vel 14 annos ab hyemali frigore, compositionibus, arduisque negotiis hæmorrhoides magno cum dolore, & ardore erumpentibus multis circa anum pustulis fluere cœperunt, & fluxum quidem deinceps quoque continuarunt, at inordinate, neque statim temporibus, neque eadem copia, & alias sanguinem, alias materiam albam lentam, viscidamque eructantes cum hoc incommodo, ut interdiu ab assidua hujus materiæ egestione corpus, vestesque maderent. Noctu omnia cessarunt, vesiculæ disparuerent, somnusque blandus obrepserit. Ante annum abhinc ex gravissimo inter ardua, & omnem quietem probibentia negotia terrore, metuque fluxus hæmo-

(a) Gallicin. med. pract. Cent. 1. Consil. 23.
P. 252.

morrhoidum plane substitit, secutaque contumacissima alvi obstructio cum tam diro tenesmo, ut jam noctu quoque 10. 15. 18. vicibus desidere cogeretur æger, raroque præter paucas urinæ stillantis guttas stercora fabam, vel avellanam æquantia extruderet. Sub hoc conatu pustulæ prius dictæ partim turgidæ, duræque; partim flacidæ, & inanes magno cum ardore prominebant. Cumque mane omnia essent leviora, a prandio, ac cœna dolores statim tempore, ac velut ad horam ingravescebant; excrementa non amplius debito modo egrebantur, magnis circa umbilicum, lumbos, & os sacrum doloribus obtinentibus. Variis, multisque adversus hæc præsidii incassum adhibitis tandem per 4 hebdomadas usus est acidulis Jebenhusanis, quarum horis antemeridianis ~~H~~ij hauriebat; a meridie vero balneo ∇ communis insidebat: unde factum, ut hæmorrhoides rursum aliquatenus fuerent; sed nil nisi per intervalla mareriam rubram, incarnatam, albam, corruptam instar succi cydoniorum, interdum colorem citrei mali referentem, mox vero cinereum, lentam, ac viscidam in forma gelatinæ cum ineffabili conatu, tenesmo, dolore, & ardore, atque insigni ani, hæmorrhoidumque protuberantia excernebant, quæ omnia ob locum a pustulis arctatum excludi non poterant, ideoque etiam fatus plurimi interclusi, ac varices venarum intus percipiebantur. Cumque prius æger uno præ altero die leto relicto negotia privata, ac publica pro-

cu-

curare potuerit; nunc jam ob assiduum tene-
sum, tumultus flatum, dolorem, ardo-
remque vix ferendum, atrophiam, debilita-
temque id non amplius fuit integrum. Even-
tus tandem quis fuerit, haud constat. Felici-
or his fuit, cuius I. G. ZINN (*a*) meminit,
vir ad 50 annos natus, qui præter asthma
spasmodicum albas etiam hæmorrhoides passus
egegit aliquando ano membranam mollem,
crassam, spongiosam, excavatam, magnitu-
dine fere $\frac{1}{2}$ manus, foetidissimam. Abhinc
plures in dies copiosum pus evehebatur. Dum
multo inde post tempore adversus asthma pauca
grana squillæ sumisset; ocyus dolorem in-
recto sensit. Nunc optime valet.

§. XVII.

3. Tabes, quam vel ulcerosus intestini
recti status post se trahit, ut paulo ante (*b*)
allata docent exempla, vel anomalia ipsa mu-
cosa hæmorrhoidalis inducit. Hujus posteri-
oris exemplum præbet W. T. RAVIUS (*c*),
quod etsi ob numerosas, & sesquipedales for-
mulas nauseam lectori sit moturum; omitten-
dum tamen non judicavi. Clericus 51 anno-
rum,

(*a*) Commentar. Götting. T. 2. p. 364. Obs. 4.

(*b*) Vide §. 16.

(*c*) Aët. nat. cur. Vol. 9. Obs. 3.

rum, sanguineo - cholericus, a multis annis
hypochondriacus, & haemorrhoides passus
anomalas jam decolores, jam albas cum alvo
obstructa, flatibus, & cardialgia, a qua ali-
quatenus liberatus in cuncte Anno 1717. de-
nuo eandem nactus est cum ardore stomachi,
phlogosibus, anorexia, siti, lumborum dolore,
ac pertinaci alvi obstructione. Primus
medicus tunc febrem epidemicam esse ratus,
temperantia, bezoardica fixa, & essentiam
alexipharmacam praebuit; verum ab hac sto-
machi ardor usque adeo increvit, ut ille nil
cibi ferret; potus quoque mox stomachum,
pectusque gravabat, & ructus causabat; unde
sudore colliquativo enato corpus tabesceret,
ægerque consumtis per vigilias pertinaces vi-
ribus, pulsus debili, celerrimoque effecto,
perpetuo clinicus mansit, per 3 continuas
hebdomadas alvo nec feces, nec flatus exo-
nerans, iori quoque flammeo parcissime ex-
creto. Stomacho primum ita prospectum:

B. ▽a chamom 3ij.

— millefol.

— menth. 3j. 3fl.

— perlar 3fl.

Cort. Peruv.

○ purif.

Rhei or. 3j. 3fl.

C. C. sine igne ppt.

Matr. perlar

Cinnab. nat.

Gumm. Arab.

Gum.

Gumm. tragac. $\frac{ii}{ii}$ ℥j.

Macil. sem. cyd. cum ∇ a rub. id: parat.

Succi citri rec.

Syr. pap. rhead $\frac{ii}{ii}$ ℥β. M.

S. omni bihorjo cochl. j. Ad leniendum sto-
machi ardorem somnumque conciliandum:

R. M. P. balsam. 3β.

Extract. cort. cascar. 3β.

— chamom. gr. xij.

Ther. cœlest. gr. viij.

Bals. Peruv. q. s. F. pil. gr. ii. Nro. 30.

Inauratæ. S. quavis nocte Nro. 10. Potui
datum decoctum hordei mundati cum passulis
minoribus in sero lactis caprillo, addito co-
laturæ $\frac{1}{2}$ pomo citri in taleolos sexto, & sac-
chari tantillo. In cibum data jura tantum
carnium, & hordeacea cum uno, alterove
cochleari gelatinæ C. C. cum succo citri &
conf. alkerm. paratæ intus soluto. Cum au-
tem vel a tepidis alimentis stomachi ardor,
& pondus, & anxietates sequerentur; frigide
omnia sumta optime tulit, & cum virium re-
fectione. Alvum solvit enema ex jure carnis
cum semine anisi, & carvi decoctæ & oleo
olivarum, vitell. ov, ac sale, quo multæ siccæ,
ac nigricantes fordes cum flatibus eductæ.
Dolorem lumborum hirudines ano admotæ
fustulere. Postmodo alvum quotidie aperuit
sequens electuarium;

R.

14. Extract. pulp. passul. minor.
 Conserv. flor. tunic. ॥ ᷄ ᷅.
 Ṣ stom. BIRKM. sine saccharo ᷄ jv.
 Ṣ Cort. Peruv. Selectiss. ᷄ iij.
 — rhei. or. ᷄ ij.
 Spec. diacret. MYNS.
 Gummi tragac.
 — — Arab.
 Nitri purif.
 Lap. 69. ppt. ॥ ᷄ ᷅.
 Corall. r. ppt. ᷄ j.
 Flav. cort. ⓧ. ᷄ ᷅.
 Bals. Peruv. ᷄ j.
 Syr. ros. solut ᷄ jv. M.

S. quater de die ad 2 cusp. cultri. Urgentibus tamen acriter stomachi ardore, æstu interno, phlogosibus crebris, lotiique paucitate, data emulsio:

14. Sem. 4 frig. maj. ॥ ᷄ ᷅ iij.
 — cannab.
 — papav.
 — violar. ॥ ᷄ ᷅ 3j.
 ▽ꝝ rub. idæi.
 — chamom.
 — millefol.
 — menthae ॥ ᷄ ᷅ iij. F. l. a Emulsio co-
 laturæ adde
 Nitri purif. ᷄ j.
 Gummi tragac.
 — — Arab. ॥ ᷄ ᷅ ᷄ j.

▽ꝝ

▽æ perlat.
Syr. dialth: FERNEL. 22 3vj. M.

S. saepius cochleatim. Unde mala dicta minuebantur. Cum autem observatum esset, iura alvo reddi plane indigesta cum torminibus; ad tonum primarum viarum reparandum datum elixir.

R. Extr. calam. arom. 3j.
— cascar. aquosi. 3ij.
— gent. rubr.
— millefol. 22 3ß.
Nitri purif. 2j. Solv. in
▽æ menthæ 3jß. M.

S. bis per diem gtt. 6e. Sublata sic lienteria æger cœpit refici. Priori autem electuaria, quod paulo valentius alvum cieret, sufficuum aliud:

R. Conserv. menthæ 3ß.
♂ cort. Peruv.
— — cascarill.
— rhei or. 22 3ij.
— rad. zedoar.
Ori purif. 22 3iv.
Gummi tragac.
— — Arab.
Lap. 69. ppt. 22 3ij.
Flav. cort. O. 3ß.
Bals. Peruv. 3ß.
Syr. flor. tunic. 3vj. M. S. ut prius.
Verum

Verum alvus per aliquot dies ægrius successit,
retentisque flatibus phlogoses, & puncturæ
dextri hypochondrii natæ; ut quamvis rede-
unte appetitu æger jam ova sorbilia, aliaque
eupepta ferret; vires tamen vix crescerent.
Interpositus ergo electuario ḡ visceralis:

- B. ḡ stomach. BIRKM. sine facch.
- cort. Peruv. 22 3j.
- rhei or. 3ij.
- cornachini 3ß.
- purif. 3jv.
- Crystall. ♀ ri 3ij.
- Lap. 69. ppt.
- Matr. perlar. ppt. 22 3ß.
- Macis 3j.
- Sem. anisi 3i.
- Flav. cort. ○ 3ij.
- Ol. de cedro gtt. vj. M. F. ḡ.

Ab eo alvus rite soluta, flatus, & phlogoses
abiere, stomacho bene fuit, ut pauxillum
vini Neccarini nec ardorem, nec æstum cre-
arit, ægerque viribus & carnibus resumitis
intra 4 hebdomades plane convaluerit, se-
mestrique toto sanus fuerit. Postea gravi
ira, mærore, & ingluvie acetariorum denuo
indigestio, stomachi pondus, ficcitas oris,
flatus, tormina, cum alvi segnitie revocata.
Idcirco præscriptum

- R. \textcircled{O} antispasm. 3j.
 — rhei or. 3j.
 Magnes. alb. 3 β .
 \textcircled{O} cort. Peruv. 3 β . M.

S. a meridie, & vesperi ex ∇ a cinnam. sine vino. Sed absque levamine: nam post quævis assumta phlogosæ cum intercurrentibus horroribus, pondus, & ardor stomachi, pulsus celeres, sitis, & anorexia aderant: cumque & pertinaciter alvus esset clausa, datum

- R. Pastular. minor. excuin.
 Fol. S. S. S. 22 3 β .
 Fl. chamom. vulg. p. j.
 Cort. cascarill.
 Crem. \textcircled{O} ri 22 3ii.
 Sem. anil. 3 β . Coqu. in
 ∇ æ f. q. ad reman. 3jv. Solve
 Mannæ Calabr. 3vj.
 \textcircled{O} purif. 3 β . Adde
 ∇ æ cinnam. f. v. 3ij.
 Syr. ros. solut. 3 β . M. D.

Sexies inde blande, affatimque purgato data MRA:

- R. ∇ æ menthæ 3ij.
 — chamom.
 — millefol. 22 3j β .
 — cinnam. f. v. 3 β .
 \textcircled{O} antispasm. 3jv.
 — cort. cascar.



Φ conch. ppt.
— rhei. or. $\frac{aa}{3}$ 3ij.

Θ absinth. $\frac{3}{3}$ fl.

Liqu. anod. min. HOFFM.

Essent. carmin. WEDEL $\frac{aa}{3}$ 3j.

Succ. citr. rec. 3ij.

Syr. cort **◎** $\frac{3}{3}$ fl. M.

Sub pastu simul sumvit elixir balsam. gtt. 60,
in haustu apozematis diætetici ex hord., pas-
sul. min., succo citri, & rub. id. Sic flatus
facile prodibant; sed alvus semper sicca, &
plerumque biduo clausa ejectis cum tenesimo,
lumborumque dolore scybalis mansit. Molimina
ergo hæmorrhoidum esse ratus Author
enema dœmesticum imperat, quo provocatæ
hæmorrhoides torminosæ, decolores, spu-
mosæ: queis cum aliquot dies indulsisset,
apposuit apozema:

R. Rad. polypod. querni.

— sarsap.

— Chinæ

— cichor. $\frac{aa}{3}$ $\frac{3}{3}$ fl.

Rasur. lign. sassfr.

— — — Guajac. $\frac{aa}{3}$ $\frac{3}{3}$ j.

Anisi stell.

Θ ♀ ri $\frac{aa}{3}$ 3ij. M. D. $\frac{3}{3}$ fl. decoquenda

in **W** iv ∇ æ, addendo colaturæ ob ardorem
stomachi, ac febriculam lentam sequentem
julepum:

R.

- R. Mucil. tragac. c. ▽ a simpl. factæ 3*fl.*
 Syr. acetosif. citri
 Rub. idæi
 Papav. rh.
 Berberum
 Cinnam. 2*fl.* 3*j.*
 ⓠ. purif. 3*j.* M.

Sic omnia symptomata sensim abiere, superfite tantum stomacho debili, alvoque segni; quæ tamen etiam sustulit electuarium:

- R. Pulp. tamarind. extr. 3*fl.*
 Conserv. cochlear. 3*vij.*
 Ⓛ. fol. S. S. S.
 — rad. jalapp. 2*fl.* 3*fl.*
 — lign. Sassafr.
 Flaved. cort. ⓠ 2*fl.* 3*j.*
 Caryophyll. arom. Ⓛ.
 ⓠ ⓠ. dulc. 3*j.*
 Syr. rub. idæi q. f. M.

Ita æger sanatus facta deinceps consueta Væ Se autumnali in pede jam per 7 menses munia sua vegetus obibat. Non ita felices fuere alii. N. W. MÜLLER (*a*) narrat Portensem quendam Rectorem ex hæmorrhoidibus albis habitualibus tandem contabuisse. Nec meliorum

(a) Annal. Vratisl. Tent. 25. A. 1723. Septembr. vol. 4, art. 9. p. 320. sqq.

rem videtur exitum habuisse ejusdem vir 50 annorum, olim sub diæta magis vinoſa plethoricus, nunquam hæmorrhoidum fluxum passus, sed qui ante 20 annos ſemel duntaxat rubelli quid tempore vehementis diarrhoeæ ſub nephritica colica excrevit, cui cum multi ſabuli, & albi muci excretione, ac dysuria obnoxius erat fere omni 4a vel 6a hebdomade cum vehementi vomitu. Sub hac mense Octobri 1719 iterum vehementissima poſt enema corripitur gravi ani dolore cum dolorifica muci albi excretione. Horum continua abhinc duratio ſuspicionem movit latentis ani fistulae; ſed anno rite inſpecto nil detegi potuit, nec præter mucum pus unquam prodire obſervatum. Mucosæ autem hæmorrhoides per 4 deinde annos conſtanter fluxere, ſæpe cum excrementis, ſæpe etiam ſine hiſ, ita ut ſæpe circa mediam noctem earum excretio acciderit, præſertim a cereviſia uberius vespere pota; ſecus vero ordinate quovis mane, ubi æger surrexit, vel una cum fece, vel iſthac paulo poſt conſecuta fluxere, tum versus horam decimam iterum ſine fecibus, at cum gravi meteorismo; ſepiſſime vero a prandio poſt cereviſiae potum: dein ab hora ſecunda vel 3tia ſtercora omni fere hora, uſque dum lectum peteret, egerebat. Quandoque, & vel maxime ſi curru vehebatur, mucum rubellum excrenebat; ante 8to hebdomadas ſemel ſincerus etiam ſanguis profluxit. Tempore colicæ cum vomitu, quod æger nec cibos, nec cereviſiam per 2 vel 3 dies

dies assumserit, hæmorrhoides albæ parcus fluxere. Ex quo autem æger fere 4ta qua- que hebdomade purgans sumvit, a sesquianno colica non redit, at ani dolor ad finem ossis sacri mansit assiduus, turgente materia mu- cosa gravior; eadem egesta levior. Unde corpus extenuabatur, vires cum roseo olim colore, atque appetentia abibant; & licet ab usu thermarum Teplicensium post copiosum fabulum, ac mucum excretum & vires, & carnes aliquatenus redierint; deinceps utrumque denuo minuebatur, stomacho sensim ita imbecillo effecto, ut ne levissimos quidem cibos præ nausea tulerit. Frustra variis usur- patis morbus ad 15. Septembr. 1723. magis irradicatus nonnisi exitium pollicebatur.

§. XVIII.

4. Hydrops, Tympanites. Utrumque in eodem ægro vidit I. G. ERNESTI (a) 42 annos nato, cholericō-sanguineo, in iram ad convulsiones usque, quas inde aliquoties natus est, prono, & anomaliis hæmorrhoidum, quæ partim dolores femoris, pedumque; partim hæmorrhoides cœcas causabant, obnoxio, qui post superatam Augūsto mense volaticam bullatam, & hæmorrhoidalia quæ-
dam

(a) Annal. Vratisl. Tent. 21. A. 1722. August:
cl. 2. art 3. §. 3. p. 146.

dam incommoda, neglectamque circa æquinoctium autumnale pedis phlebotomiam (a) ex vehementi rursus ira novos motus haemorrhoidales cum pertinaci alvi obstructione sibi accivit, nec tribus enematis emollientibus, nec rheo cum nitro sumto cum aliqua constantia referanda. Haemorrhoides cœcæ avel lanas magnæ intensissime ardebat, queis cum sine prævia Væ Se oleum ovorum esset admotum, evanuere sequente ocyus haemoptœ (quod & olim ab eodem remedio accidit), hacque usu temperantium antispasmodicorum, nitrosorum, pediluvii, & infuso ex herb. urticæ min., & millefol. sopita rursus in interno ani margine repullularunt summo cum tenesmo, diffuria, parca subinde muci, spermato ranarum similis, excretione, colicisque, & cardialgicis ad assūpta doloribus. Ad hosce sopiendos dum proprio consilio fæcculos avenæ abdomini admoveat, atque MRA carminante ex calidis conflata utitur, intra 8 dies abdomen tympani instar alte inflabatur cum continenti alvi obstructione, nisi quod sub vix ferendo tenesmo, doloribusque imi ventris mucus tantum exprimeretur. Accitus Auditor cum enemata mere oleosa mox iterum refluere sine mitigatione tenesmi, ac fecibus videret, remittente tenesmo vulgaria injici jussit cum folu-

(a) Ibid. Tent. 22. Octobr. cl. 2. art. 3. §. 3.
P. 385.

soluta in iis 38 M. P. bals., queis stercora
dura ovillis similia educta. Ad mitigandum
tenesimum post sacculos incassum ano admo-
tos spongiola oleo verbasci intincta, & noque
intrusa illum lenivit, mucique excretionem
facilitavit, & abdomen quoque subsidere hæ-
morrhoidesque egredi cœpere, quarum una
avellanam æquavit. Admotis illico hirudini-
bus, & educto fere ad tib sanguine venter
magis sudsidebat; sed exiguo cuncta fructu.
Nam prorsus licet egressis hæmorrhoidibus
alvus tamen sæpius enemate movenda fuit,
nec nisi diu post varices ani, frusta applicatis
vel discutientibus, vel fluxum provocantibus,
evanuere, & venter jam minui, jam rursus
inflari cernebatur. Stomachus tantopere in-
flatus fuit, ut æger nec bolum carnis citra
summam anxietatem, ac pressionem ejusdem
assumere quiret; qualia etiam plerumque in-
digesta alvo reddebantur; ægerque solis car-
nium juribus nutrientis erat. Nec remedia
etiam alia profuere, quam $\ddot{\text{E}}$ is ex rad. ari,
lap. 69, Q o O , O puro, O diaph; & cin-
nab.; quippe quem lenis quandoque sudor
sequeretur. Neque hæmorrhoidales motus
compesci poterant usu essent. millefolii, gent.
rubræ, chacarillæ, ac TRa G ii Q sati inter-
se mixtis, cui interdum subjuncta TRa G .
LUDOV. cum arcano Q ri combinata, perinde
nec quicquam. Neque etiam arcano Q ri cum
TRa G ii Q sata vel lotium, vel alvus pro-
mota; sed semper ante dicto enemate opus
erat, quo & urina, & copiosus alvi mucus

proliciebatur. Neque solennia ad ischuriam cataplasmata hic in facilitando lotio fuerunt efficacia. Pedis phlebotomiam nunc oedema pedum interea natum, & crescens prohibuit. Pridie obitus noctu magnum frigus ægrum corripuit, cui diluculo non minor successit æftus, & faciem, pedesque, præsertim lœvum tumor inflammatorius invasit; postridie mors supervenit. In cadavere venter fuit aqua plenus, flatibus intestina, & stomachus; vena portæ sanguine turgebat: hepar magnum erat, durumque. Circa recti finem vesiculæ numerosæ visabantur, magnitudine stratagematum majorum, sero, ac sanguine refertæ.

§. XIX.

III. SUPPRESSIO fluxus hujus eadem post se mala trahit, quæ ab intercepto fluxu rubro oriri superius (a) dictum est. Idem etiam valet de improvide sublatis serpiginosis illis variculis, quæ ad cœcas hæmorrhoides albas referuntur (b). De his ita STAHLIUS (c): „Si . . . postquam diutius jam federunt, aut „frequentius repullularunt, & utrovis modo „sæpius, & plus perficitæ manarunt, & ali- „quid

(a) Vide Tom. I. §. 55.

(b) Vide §. 2. II. A. Nro. 2.

(c) Diff. cit. l. c. p. II.

„quid effuderunt, si tunc consolidentur,
 „exemplis ipsis vidimus personas tales mox
 „in gravissimas, & quasi perpetuas molestias
 „ischiatricas, arthriticas, gonagricas, poda-
 „gricas devolutas fuisse.“ Insigne hujus rei
 exemplum alibi (*a*) profert: vir 40 fere an-
 norum e sanguineo ad melancholicum vergens
 adeo vehementem sensit circa anum pruritum,
 ut a scalptu non prius desierit; quam cruen-
 tum prolicuissest humorem. Brevi inde post
 succrevere tubercula verrucosa perpetuo icho-
 rem acrem, nunc plus, nunc minus, exsu-
 dantia, habitualique demum ardore, ac pru-
 ritu per molesta. Si curru, vel equo vectus
 incaluit, aut calido tempore usque ad sudore-
 rem ambulavit, aut subinde alvum fluxam,
 acrem depositus; verrucæ illæ velut prunæ
 candentes urebant. Litu autem ex oleo hy-
 perici, thure, ac mastiche adhibiro ulcera
 hæc brevi omnino sanata sunt; sed paulo post
 acerbissimi sequebantur dolores artuum, co-
 xarum, ac tandem pedis, oborta ab animi
 motibus febre acuta nullatenus leniendi; imo
 a sumto versus diem criticum cathartico, dum
 æger ter, vel quater diu, laborioseque desi-
 deret, eodem vespere dextrum pedem tumor
 invaserat, hodiedum prorsus non abigendus;
 verum

(*a*) Colleg. casual. magn. Cas. 15. p. 191.
 201. lq.

verum post aliquam subinde subsidentiam gravius iterum tumescere solitus cum rubore & ardore ; quæ quandoque $\frac{1}{2}$ anno durabant. Nemine autem de hæmorrhoidibus suspicante STAHLIUS consultus rescivit percontando, jam etiam alias id genus ulcuscula adfuisse, quæ uxor sanarit non sine lœsæ sanitatis sequela. Addit æger, se in Gallia degentem sæpius hirudinibus usum; abhinc vero multis annis non amplius. Suas ergo Auctoris æger aliquoties, at inordinate, Væ Sem instituit cum aliqua, licet non perfecta, euphoria, nam pes mansit durus, scaber, ruberque, initio ulcerosus, vel potius ichore madescens. Si ergo levia id genus ulcuscula consanata graves post se corporis trahunt noxas; graviores etiam consequi a suppressione mucosi fluxus, utpote uberioris, quid mirum ? Sic M. ALBERTII (a) „vir sanguineo - melancho-
„licus 30 aliquot annorum, rheumaticos do-
„lores ante aliquot annos in pede perpetuis,
„corripitur æquinoctio autumnali diarrhea
„torminosa, dejectionibus mucidis (mucosis),
„sanguineis striis tinctis, tensione hypochon-
„driorum, dolore crucis, & tenesmo comite.
„Hanc medicus . . . pro dysenteria habens
„sistere in, & externis stypticis . . . cona-
„tur;

(a) Diff. de fluxus hæmorrhoidalis provocatione
thes. 18. p. II.

„tur; striæ sanguineæ disparent mucidorum
 „dejectione perleverante: hinc dysenteriam
 „albam accusat, sub usu stypticorum dejectio
 „decrescit, tensione hypochondriorum, do
 „loribus dorsi, & tenesmo ingravescientibus,
 „accedente una angustia pectoris, & momen
 „taneæ strangulationis metu: hæc sæpius se
 „cuta dejectione moderatione fiunt. Aguntur
 „alia per hebdomadas. Accedens alter me
 „dicus ex relatis molimina hæmorrhoidalia
 „subesse concludit, eaque cum per aliquot
 „septimanas jam durassent; temperantibus,
 „anodynis, & specificis sopire, & in tran
 „quillum statum deducere tentabat: ab eorum
 „vero usu & diarrhoea, & tormina cum supra
 „diætis incommodis crevere, post meridiem
 „invalescente horrore, extremorum frigore,
 „& levi æstu, tumore pedum, qui mane eva
 „nescere suevit. Dantur tandem sanguinem,
 „& vias ad exitum disponentia, & hæmo
 „rrhoidalem fluxum provocantia, sub quo
 „rum usu & perrupit, & sensim una cum di
 „arrhoea, & ceteris incommodis disparuit,
 „ægro ad pristinum sanitatis vigorem redeun
 „te.“ Notari vero hic meretur, fluxum hæ
 „morrhoidum albarum facile supprimi ab ingrue
 „ntibus aliis morbis mucoso-ferosis, inpri
 „mis epidemice grassantibus. Ita s. SELIG
 „MANN (a) meminit senis „qui cum jam per
 „multos

(a) Diff. cit. Sect. 3. §. 14. p. 30.

„multos annos hæmorrhoidibus ani . . . mu-
„cosis laborasset , in epidemia . . . anni
„(1782) catarrhali , quæ per totam fere Euro-
„pam sœvit , ita ab hoc morbo præ aliis . . .
„civibus fuit correptus , ut vix evaserit , ne-
„que minus morbo superato diu adhuc pitui-
„tam albam exspuit ; ex ano vero durante hac
„excretione nullus prodiit mucus ; cessante
„vero hæmorrhoides albæ redierunt.“

§. XX.

IV. SOLVUNTUR hæmorrhoides albæ su-
perveniente fluxu sanguinis , velut in paulo
ante memorato ALBERTII (a) viro , BEHRII
(b) Principe , aliisque. Interea tamen id haud
alioquin nisi recenti adhuc in morbo , non-
dum habitum naœto , sperare licet ; neutiquam
vero in habituali effecto : nam teste ALBERTIO
(c) „quo constantius hic albicans fluxus re-
„petit , & continuat ; eo minor spes conci-
„pienda , & promittenda erit de facile ex-
„spectando , & inducendo legitimo hæmo-
„rroi-

(a) Vide §. 19.

(b) Vide §. 4. Nro. 4.

(c) Diff. de hæmorrhoidib. albis §. 12. p.
262.

„rrhoidum fluxu“ interno , ad quem albus
pertinet. Quod vero serpiginosas illas hæ-
morrhoides attinet, quæ ad cœcas externas
referuntur, hæ ne ab initio quidem, nedum
ubi habituales jam sunt „ita facile in effica-
,,cem, & sinceram eruptionem hæmorrhoida-
,,lem abeunt: quid quod facilius magis a ge-
,,nuino fluxu discedunt, quam in eundem re-
,,deunt“ ? (a).

HISTO-

(a) Ibidem 5. 13. p. 263.

HISTORIÆ
HÆMORRHOIDUM
ALBARUM.

PARS II.
THERAPEUTICA

CAPUT I.

SUMMA MEDENDI CAPITA.

s. XXI.

I. INDICANS est hæmorrhois alba.

II. INDICATIO est multiplex, nempe, ut

A. Fluxus, si est

i. Insalubris, inutilisve; propulsetur,
prævertatur.

ii. Salubris, & quidem

a) Re-

- a. Recens in rubrum mutetur
 - α. Vasis transmissuris laxatis
 - β. Sanguinis
 - 1) Copia nimia imminuta,
 - 2) Lentore p. n. emendato.
 - 3) Motu ad vasa idonea determinato
 - b) Habitualis in rubrum non mutabilis, si
 - α. Placidus est, non turbetur, nec intercipiatur; sin
 - β. Difficilis est; facilitetur
 - 1) Spasmis sopitis
 - 2) Vasis laxatis
 - 3) Humore fluxili reddito.
 - γ. Suppressus vero vel
 - 1) Revocetur, vel
 - 2) Compensetur
 - B. Symptomata mitigentur, sopianuntur.

C. Ef-

C. Effectus huic morbo solennes

1. Futuri prævertantur,

2. Præsentes tollantur

III. INDICATA sunt perinde multiplicia, sequentibus capitibus ex ordine occursura.

IV. CONTRAINDICATA sunt duo præfertim:

1. Acria nervos laceffentia, &

2. Calida sanguinem commoventia.

CAPUT II.

P H A R M A C A.

§. XXII.

I. ATTENUANTIA diluentia, & incidentia, aquosa, saponacea, salina mucosis in haemorrhoidibus maximi sunt usus, quod pituitosum sanguinis lentorem, ac mucum ipsum fluxiliorem reddant, ita tollant, & aequalibet, liberamque restituant circulationem; qua obtenta facilior mucosorum e corpore evectio institui, & ruber abhinc fluxus provocari potest. Satis autem de his jam alibi actum

actum est (a): hic tantum duæ adhuc superfluit cautelæ memorandæ, videlicet

1. *Tonica* simul ut sint attenuantia dicta, ut sunt amaræ plantæ, millefolium, taraxacum, centaurium, trifolium fibrinum &c. & parata præsertim inde extracta; cavendo solum, monente M. ALBERTI (b), acriora antiscorbutica.

2. *Flores Sulphuris* eti in superioribus (c) adversus stases hæmorrhoidales viderimus „magnopere commendari; tamen SELIG-MANNUS (d) iis prophylactice tantum, non „therapeutice in albis hæmorrhoidibus mu-„cosis utendum esse censet: ex pharmacis „(inquit ille) maxime ex usu sunt flores ♂, „jam a WERLHOFIO ex eadem ratione satis „superque laudati“ prophylactice nempe ad hæmorrhoides albas avertendas; at iis jam vigentibus „ab usu florum ♂ disuadeo, li-„cet proficiunt in hæmorrhoidibus rubris; „in mucosis tamen, ubi jam adeat pituita „crassa, nocent. Argumentum si queris, „nitor eodem, quo usus eorundem in pe-„ctoris

(a) Vide Tom. II. §. 66. fqq.

(b) Diff. de hæmorrhoidib. alb. §. 204 p. 270.

(c) Vide Tom. II. §. 70.

(d) L. c. Seſt. a. §. 10. p. 12.

„storis affectionibus serosis restringitur,
 „quantum enim emolumenti in catarrho te-
 „nui præstant; tantum ex eorum usu oritur
 „damni, ubi materia jam viscida, & glutinosa evasit. Ratio hujus rei hæc mihi vi-
 „detur: flores Δ velociorem promovent
 „sanguinis cursum; quod vero ob majorem
 „humorum lentorem fieri nequit absque
 „majori impetu versus locum obstructum,
 „ubi quasi fons, & sedes morbi, quo mor-
 „bus dein novum capit incrementum.“ Sed
 eadem hæc ratio etiam stare adversus Δ
 deberet non minus in prophylaxi hæmorrhoidum albarum, qua therapia rubrarum cœcarum, ac molimum hæmorrhoidalium; si enim Δ humores inspissando agit; aget &
 in hisce dictis casibus evidenti nocumento, quod tamen experientia manifeste refellit, ostenditque egregiam in Δ virtutem aperientem, & attenuantem. Eliquato autem ita muco facilior succedet deinceps ejus evacuatio, vasorumque turgentium depletio: qua propter subjungenda veniunt.

§. XXIII.

II. CATHARTICA *eccoprotica*, non acria,
 nec larga dosi; sed rheum, & salia præ aliis
 in parvis præbiis: hinc STORCHIO solennis
 fuit TRa rhei cum dimidio TRæ Δ ri m., &
 v. ad gtt. 30, vel plures interdum exhibita.
 Unde

Unde & M. ALBERTI (a) post Væ Sem si illa opus fuerit „tam præservatorie; (inquit) „quam curatorie convenient moderatæ leni-
„tiones, & laxationes alvi cum rhabararo „five in substantia, five in infuso exhiben-
„dæ, uti tale vinum medicatum parari po-
„test ex speciebus resolventibus, & abfer-
„gentibus, cui exiguum de fibris hellebori
„nigri commisceri potest, cavendo ne helle-
„borum paulo liberalius adhibeamus, ut nil
„de illius excessivo usu dicamus, postulat
„enim helleborus cautum artificem: cujus
„loco polypodium cum tali infuso combina-
„ri potest, evitando alia, quæ flatulentiam
„provocare possunt.“ Contra vero (b) „ab-
„sint immoderatae alvi provocationes & po-
„nitivæ purgationes; quæ irregulares motus
„hæmorrhoidales eo magis exasperant, &
„in majorem irregularitatem conjiciunt.“
Omnibus autem eccoproticis aliis hic SELIG-
MANN (c) præferendum vult *Solanum hypochondriacum* KLEINII ex Tiro fato, rheo,
corticibus ♂, & aliquot guttis olei cajeput
conflatum; quippe quod leniter roborando,
stases resolvendo, alvum laxam tenendo,
spasmosque sopiendo omnem fere indicatio-
nem expleat.

§.

(a) L. c. §. 21. p. 271.

(b) Ibidem §. 20. p. 270.

(c) L. c.

§. XXIV.

III. ALOE cum catharticis juncta tunc vel maxime convenit, quando morbus reeens vel dissipandus, vel minuendus est, vel fluxum in rubrum commutandus; alias haud perinde. Utiles proinde hunc in finem sunt pilulae BRCHERI, RUFU, aut celebratissimæ balsamicæ STAHLII, de quibus M. ALBERTI (a) „laudamus (ait) præ alis remediiis pilulas balsamicas STAHL., quæ motus hæmorrhoidales plus quam alia medicamenta in ordinem justum transferre adjuvant.“ Uso certe harum pilularum STAHLII (b) in aulico hæmorrhoides mucosæ in cruentas abiverunt. Utiles quoque id genus pilulae sunt ad ipsas hæmorrhoides albas restitantes, vel ægro succedentes, si ex accidenti sint falubres, promovendas. Ita I. STORCH (c) membrinit feminæ cholericò - melancholicæ, & ad hypochondriacum malum pronæ, quæ aliquamdiu alternis diebus pilulis ad imitationem STAHLIANARUM confectis, & purgante acuatis usq; excretionem muci sanguine striati sibi procuravit, cum levamine, quam pilulae 8. quoque die deinceps continuatae pro-

(a) L. c. §. 22. p. 272.

(b) Vide Tom. II. §. 75. c.)

(c) Obs. clin. anni 6. Januar, d. 4. art. 3. №. XI. p. 335.

promoverunt scum euphoria; donec a potu
vini cum cochlearia parati anxietates hy-
pochondriacae reversae uberiorem curatio-
nem per Vae. Ses aequinoctiales exegissent.
Verumtamen monente ALBERTIO (a) „ab
„indiscreto aloeticorum usu ,solicite absti-
„nendum est; parcissimus, & circumspectus
„temperatorum , seu correctorum aloetico-
„rum usus non penitus improbandus est. In-
„primis vero circa aloeticorum ordinationem
„moderamen, & circumspectio adhiberi de-
„bet , quando speciales tales anomaliae hae-
„morrhoidales in suo fervore , & vigore
„existunt.“

§. XXV.

IV. DIURETICA diaphoretica. De pri-
oribus ALBERTI (b) „pro congrua (inquit)
„intestinorum , & primarum regionum ab-
„stersione, ne transitus sanguinis ullo modo
„offendatur , & impediatur; convenient fa-
„llina digerentia , & colliquantia five enixa,
„five ♀ fata, quo liquores ♀ fatos abstur-
„gentes , & moderate diureticos referimus.“
De utrisque autem i. LIETAUD (c): „egre-
„giam

(a) L. c. § 21. p. 2. 271.

(b) Ibidem p. 272.

(c) Synops. univ. prax. med. P. 1. L. 2. S. 3.
p. m. 397.

„giam opem praefat diurnus diureticorum,
 „& diaphoreticorum usus, quorum scilicet
 „praeſidio materia quaecunque morbos per
 „renes, vel cutis spiracula e vasis sanguineis
 „excutitur.“

§. XXVI.

V. ANTISPASMODICA nervina ad cruciatus, ac stricturas hic solennes auferendas haud raro hocce in morbo sunt necessaria; at non narcotica, nec stimulantia acria, spirituosa, volatilia esse oportet; sed mitia: unde SELIGMANNUS (a) „per omnem . . .
 „morbi decursum(ait) vitanda sunt carminativa calida, quæ quidem flatus forte frequentes compescendi causa alias propinantur; partibus enim calidis aromaticis vasorum nimis irritant, majori, quam par est, impetu humores circumagunt, eoque plethoram commovent. Multo minus adhibentur ad motus spasticos nimis urgentes opiata, & narcotica; relaxationem enim fibrarum semper relinquunt, indeque renisu vasorum imminuto lento augetur, & graviori statim occasio præbetur: cui utrique autem malo occurrentum est temperantibus, infuso fl. chamomillæ, clysteribus antispasmodicis“ &c. Optima vero teste ALBER-

TIO

(a) L. c. pag. 14.

trio (a) „remedia, quæ irregulares commo-
„tiones mitigant, . . . sunt . . . nitroso-
„digestivo-cinnabarina, interponendo absor-
„bentia, & diaphoretica fixa . . . si multæ
„inquietudines in abdomine concursant; ex-
„pedit subordinare talia, quæ contumacio-
„res motus hæmorrhoidales irregulares ma-
„ggis tranquillant, & secure sedant, aut sine
„præjudicio compescunt, quo laudamus mi-
„scelam ex effent. millefol., gent. rubræ,
„chaccarill. paratam, subjungendo TRami
„temperatam ♂lum, five ♂tis ♀satam,
„five pomorum leviter ♂lem, abstinendo
„a potentioribus.“

§. XXVII.

VI. TONICA roborantia denique; cum
fere omnibus hactenus memoratis remediis
prudenti manu addenda sint, ut mucifera
vasa pristinum suum tonum recuperent pede-
tentim; in fine morbi jam fere sola, & ube-
riori copia sunt præbenda, ut conciliato so-
lidis constanti robore morbi recidiva prohi-
beatur. Adstringentibus autem, quamdiu
fluxus ex toto sublatus non fuerit; prorius
est abstinendum, ne suppressus ab iis impro-
vide fluxus graviora accersat mala (b); imo
ne

(a) L. c. §. 22. p. 272.

(b) Vide §. 19.

ne in fine quidem illis tatis fidendum, nisi
vasorum laxitas roborantibus solis non au-
ferenda inevitabilem eorum usum exposcat.
Roborantia STAHLIANIS hic usitatissima sunt
(a): essent gentianæ rubræ, helenii, pim-
pinellæ albæ, vincetoxicæ, & (b) „in serpi-
ginosis hæmorrhoidalibus efflorescentiis
„laudamus MRam ex TRa 5ii 4-
„sata, & essentia succini, aut ex essentia
„vincetoxicæ, succ., & pimpiñ. alb.“ inquit
ALBERTI. Priora ad fluxum ipsum laudata
et si suo non careant fructu, pretioque ; ta-
men SELIGMANNO (c) teste „omnibus . . .
„palmam præripit lignum Campechense,
„quo ill. . . RICHTER optimo cum eventu
„in hoc morbo utitur. Præscribi solet forma
„decocti . . . scilicet ʒβ ad integrum co-
„quatur cum ▽ae ʒxvj ad remanentiam
„ʒvij.“

CAPUT

(a) ALBERTI. l. c.

(b) Ibidem,

(c) L. c. p. 13.

CAPUT III.

CHIRURGIA.

§. XXVIII.

I. SANGUINIS missio hic easdem prorsus habet, quas in haemorrhoidibus rubris, indicationes, cautelas, vasorum selectum, &c. Vel maxime autem scopo prophylactico ad fluxum rubrum promovendum valent; quippe quo oborto haemorrhoides albae desinere consueverunt. Hinc ALBERTI (a) „abstinen-
„dum . . . est (ait) in cura harum haemo-
„rrhoidum a curatoria, & confusa sanguinis
„millione, tanto magis vero e superioribus
„corporis regionibus.“ Contra vero jubet
prophylactice agendum esse, ut fluxus ru-
ber provocetur (b) „partim per universalem
„sanguinis depletionem cum Vae Se in pede
„administranda, & iustis temporibus repe-
„tenda, moderata quantitate celebranda; par-
„tim per specialem, & particularem sanguini-
„nis subtractionem in locis haemorrhoidalili-
„bus per hirudinum applicationem obtinen-
„dam.“ Ubi vero ruber haemorrhoidum

fluxus

(a) L. c. §. 20. p. 270.

(b) Ibidem §. 21. p. 271.

fluxus praegressus immodicus albas, mucosas, ferolasve haemorrhoides invexit; indicium est, has nimiae jam sanguinis tenuitati, vasorumque laxitati deberi; atque tunc omnis missio sanguinis, utpote utrumque vitium auctura, est prorsus devitanda. Sentit ejus nocumentum aeger, cuius r. I. FORTIS (*a*) historiam dedit. Porro ad serpiginosas illas ani variculas externas abigendas testatur STAHLIUS (*b*) unicum esse praefidium in prophylacticis phlebotomiis tempestive institutis; quando quidem illa serpigo a sanguine in vasis hæmorrhoidalibus externis congesto, indeque erumpere nequeunte ortum trahat. Namque (*c*) „aliquoties annotavit quod personis Vae Sui alias „affuetis cum eam temere omisissent, in „ipso loco alias factæ incisionis leves serpiginæ superficiales coortæ fuerint.“

§. XXIX.

II. ENRMATA ad alvum ut plurimum
hocce in morbo obstructam referandam, te-
nesmumque acerrimum (*d*) leniendum, ac
tor-

(*a*) Vide §. 4. No. 4.

(*b*) Colleg. cas. magn. Casu 16. p. 199. sqq.

(*c*) Diff. cit. l. e. p. 11.

(*d*) Vide §. 6.

tormina sopiaenda, spasmos pacandos, & demum tonum vasorum amissum reparandum, longe esse utilissima nemo non videt; simul vero intelligit pro varietate harum indicacionum variis quoque enematibus opus esse. Hinc ALBERTI (*a*) „tam in feminis; (inquit) „quam in viris (tanto magis, quando multa „flatulentia concurrit) convenient clysteres „lenientes, & moderate roborantes, qui „intestina ita præparant, quo legitimo humo- „rum ingressui pateant, atque proprius san- „guinis congeri, & ad ultimam perruptionem „promoveri queat; cavendo ne stimulantia „iis conjungantur.“

§. XXX.

III. *FRICATIO abdominis, spinæ dorſi*
 &c. *blanda, crebra, pannis asperis, aromati-*
tum fumo imbutis, vasa atona, & distenta
roborat, stases hæmorrhoidales loco movet,
attenuat, sicque vel fluxum rubrum hic adeo
salutarem promovet, vel citra hunc etiam
hæmorrhoides albas dissipat.

§. XXXI.

IV. *TOPICA* quoque hic magni saepe
 sunt usus, dum ano admota vel serpiginem
 illam

(*a*) L. c. §. 21. p. 272.

illam pruriginosam, & ardentem sanant, vel tenesimum leniunt, vel fluxum ipsum album restituentem, & greve succendentem promovendo molimina illius aboient. Hinc varia forma adhibentur. At omnis ab illis temeritas absit; namque monente ALBERTIO (a) „nocent externa repellentia, refrigerantia, „adstringentia, incrassantia, acriora septica, „suspecta & lia, & rata, unguinosa, pinquia, „& simul facile rancescentia“ &c.

i. *Litus* pro molesta illa, ac dolorifica serpentine ani demulcenda, leniendaque tutissimus est, si suadente ALBERTIO (b) hunc in finem adhibetur „oleum ovorum cum tan-
tillo ceræ remixtum, & pro efficaciore ab-
stersione addi potest exigua portio olei
empyreumatici: vel licet pauxillum un-
quenti de linaria miscere cum oleo ovorum,
& ad usus suos applicare, sicuti oleum
flor. verbasci cum oleo ovorum mixtum,
aut oleum ovorum cum pauca quantitate
camph., & oleo lil. alb. sociatum pro ab-
stergendis, & consolidandis illis pustulis,
atque discutiendis humorum affluxibus qua-
drat.“ Discussæ id genus variculæ oleo hy-
perici cum thure, ac mastiche illito quam-
gravia

(a) Ibid. §. 20. p. 271.

(b) Ibid. §. 22. p. 273.

gravia mala STAHLL (a) viro causarint, jam superius vidimus.

2. *Vapores quoque emollientes ano admissi indifficulter succedente mucoso fluxu, graviaque causante symptomata sunt ad eundem facilitandum perquam efficaces.* F. C. KREBS (b) natus est curandum virum 34 annorum, cholericum, lautæ, sedentariæ que vitæ, ab aliquot jam annis colicæ interdum obnoxium, quæ præviis levibus ad cardiam molestiis, ventrisque tensionibus ingruens vomitu semper, & diarrhœa stipabatur. Vomitus quidem semper aliquid levaminis afferebat; malum tamen nonnisi aliquo post tempore penitus conquiescebat. Cum vere A. 1783 colica solito sæpius recursabat, ægerque ex hoc tempore quovis mane habebat jam plus jam minus turgidulam. Junio mense dolor colicus rediit vix ferendus cum vomitibus, ac dejectionibus innumeris, fots e chamomilla, tepida pediluvia, infusum chamomillæ cum effent: castorei malum leniverunt, non sustulerunt. Postridie perseverante dolore, cum lingua fordia, nauveis, ac pravis ructibus datum emeticum excuslit multum lenti muci, ru-

ctus

(a) Vide §. 19.

(b) Medic. Beobacht. 1. Band. 4. Heft 3. Beobachtung. §. 4. p. 18. sqq.

Etus aliquamdiu sustulit, doloresque rarius
 repetentes, & versus os sacrum anumque
 magis devoluti hæmorrhoidum suspicionem
 præbuere. Tubercula nulla aderant, nec
 hactenus æger in alvi egestione sanguinem
 reperit; sed interdum lentum mucum, quo
 tempore etiam puncturas in ano perpetieba-
 tur. Muci excretionem promovit potus aquæ
 amaræ moderatus; verum cum continuatus
 ejus usus alvum immodice cieret cum in-
 signi debilitate, ab ulteriori illius potu de-
 fistendum fuit. Dolores ventrem, sacrum-
 que os jam penitus reliquere; sed molesti-
 ructus cum nauseis reversi sunt, quæis ano-
 rexia se junxit, & stomachum levissimi etiam
 cibi lædebant. Quod cum ab ejus imbecilli-
 tate ortum videretur, exhibutum elixir ex
 amaris extractis, quassia, **R**a rhei, pauxillo-
 que L. L., tum refractæ doses simul rhei
 ad tonum intestinorum reparandum, ac pro-
 clivitatem in diarrœam ab aqua amara su-
 perstitem abolendam. Utrumque sensim ob-
 tentum est. Post aliquot dies tumor utroque
 super genu obortus, primum vix conspicuus,
 dein celeriter crescens, ita ut intra biduum
 femora a genibus ad coxas usque magnopere
 tumuerint. Artus inferiores erant secundum
 naturam, ægerque nil nisi de pressione dex-
 tro in hypochondrio querebatur. Data ptis-
 ana sanguinem depurans, & aperitiva cum
 æge rheo, crem. **Q**ri, & millepedibus:
 incassum; tumor in totos artus inferiores non
 sine

sine ventris tensione se diffundente, idque intra aliquot dies tam conspicue, ut ægri vita metueretur. Spiratio facta laboriosa, ventreque in dies elatior ab ictu resonabat. Idcirco dari coptæ pilulæ LUDOLPH. continuatum prius dictum elixir, & ptisanæ adjectæ juniperi baccæ. Tam irritabilia fuere intestina, ut parva pilularum dosis causerit borborygmos, & aliquot aquosas sedes, huic occurrebat sensim aliquot gutris laudani vel cum elixirio, vel ex aqua post sumtas pilulas exhibitis: tum vero ea fuit pilularum energia, ut præter duas quotidie dejectiones lotium copiose moveant. Tumor abhinc in dies subsidebat, spiratio siebat liberius, & intra 8 dies æger jam equitare valebat cum evidenti utilitate. Reliquias tumoris pedum abstulerunt facculi calidi e lupo, & ultimo fasciatio. Finem curationi imposuit ▽a Selterana, & elixir prius dictum. Post 5 circiter hebdomades redierunt omnia pristinæ colicæ præludia, dolorque circa os sacrum; sed sub idoneo diætico regimine vapor e fl. chamomillæ, ac seminib. lini in aqua coctis ope fellæ perforatae anno admissus fluxum haemorrhoidum mucosarum provocavit cum omnium symptomatum remissione; unde recidiva colicæ averruncata.

S. XXXII.



§. XXXII.

V. APERTURA varicum fero, mucove
turgentium, vel ferro vel admotis hirudini-
bus facta e vestigio saepe omnia sympto-
mata summovet. Sic I. G. GREISELⁱⁱ (a)
„viro . . . 49 annorum perpetuo valetudi-
„nario post purgationem Majalem hæmo-
„rrhoides ut aperiri curaret, consultum fuit:
„quibus apertis exivit materia instar sper-
„matis ranarum ad tb x, cum jactura ta-
„men virium. Convaluit ab hoc momento,
„liberatusque fuit a suo diuturno morbo, &
„millenis aliis accidentibus.“ Et P. SORBAT^(b)
„vidimus (ait) ex haemorrhoidibus
„externis per sanguisugas duas fere mensu-
„ras materiae cuiusdam instar spermatis ra-
„narum fluxisse, & patientem a longissimis
„malis, flatibus scilicet, continuis dolori-
„bus, aliisque symptomatibus liberatum
„fuisse.“

CAPUT

(a) Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 1. Obs. 75.

(b) Medic. pract. Tr. 1. Cap. 68. p. 420.

C A P U T IV.

D I A E T A.

§. XXXIII.

ALIMENTA quod attinet, inculcatur a M. ALBERTIO (a) in albis praesertim haemorrhoidibus, abstinentia ab alimentis, & postulantis multum spirituosis, & aromaticis, imprimis si subiecta spissiorem sanguinem habent, sedentaria vita fruuntur, & parcus reliquum potum diluentem conjungunt. Vitanda quoque omnia dyspepta, ac flatulenta. Contra vero potus esto diluens, aperiens, humectans; cibus mollis, humectans, aperiens album lubricans, verbo: alimenta sunt medicamentis analogae,

§. XXXIV.

II. **AFFECTUS** *animi* graviores sollicito vitandi, imprimis qui sanguinem vel magnopere rarefaciunt, & commovent, ut ira; vel lentiorum, ac spissiorem efficiunt, ac motum simul efficiunt languidorem, ut diuturnus mœror; & qui vehementer concitant

HERSTO

(b) L. c. §. 21. p. 272.

tant spasmos, ut gravis terror: contra ea
hilaritas, gaudium, spes, hic sunt salu-
berrima.

§. XXXV.

III. MOTUS corporis denique modera-
tus, & assiduus humorum lentorem ab otio
praesertim natum subigit, motum humorum
languidum accelerat, circuitumque ilorum
reddit liberum, & aequabilem, quo mor-
bus haemorrhoidalis vel ex toto aboletur,
vel regularis, & salubris efficitur.

HISTO.

HISTORIA
HÆMORRHOIDUM
VESICÆ.

HISTORIÆ
HÆMORRHOIDUM
 VESICÆ.
P A R S I
P A T H O L O G I C A.

CAPUT I.
 D E F I N I T I O.

s. I.

HAEMORRHOIDES *vesicæ* sunt spontaneum vel sanguinis, vel muci ex vasis haemorrhoidalibus vesicae urinariae profluvium aut praefens, aut imminens. Est haec altera motum haemorrhoidalium ferme per propria vasa anomalia haud minori sagacitate rite cognoscenda, quam curanda. Dictum enim in superioribus (a) fuit, vesicam urinariam nullos

(a) Vide Tom. I. §. 5. b).

nulllos quidem ramos ab ipsis vasis haemorrhoidalibus adipisci; accipere tamen arterias a pudenda externa, communem habente originem cum trunco haemorrhoidalis externae ex pudenda hypogastrica interna; cuius rami vesicae, ejusque collo prospiciunt: unde sanguis in ramos haemorrhoidalis externae non receptus facile in proximae pudendae externae ramos conversus vesicam lacefit. In non nullis autem corporibus etiam ipsorum haemorrhoidalium vasorum aliquae propagines ad vesicam abeunt. In Annalibus Vratislaviensium (a) refertur ab injecta in venam portae materia ceracea intumuisse simul ramus venae haemorrhoidalis internae una cum vena ex illo ad collum vesicae circa ureterum insertionem producta. Quale quid & apud VERHEYNIUM (b), & c. BAUHINUM (c), aliasque anatomicos reperire est.

CAPUT

(a) Tent. 12. A. 1720. Maji d. 2. art. 3. §.
1. p. 516. sq.

(b) Anat. C. H. Tract. 2. Cap. 10.

(c) Anat. L. f. C. 20.

CAPUT II.

GENERA.

§. II.

GENERA *hæmorrhoidum vesicæ* præprimis
duo sunt, videlicet:

1. *Cæcæ*, quæ in folo vasorum vesicæ
p. n. infarctu, vel varicibus etiam consistunt
citra fluxum. Uterque hic status ægre cog-
noscitur: quandoquidem visum, tactumque
effugit, & pathognomico caret signo, nec
nisi ex accidente quandoque detegitur, ut
in VAN DER HAARII (a) ægro per catheteris
applicationem.

2. *Fluentes, ex quo*

a) *Sanguineæ*, seu *hæmaturia hæmo-*
rroidalis veteribus jam non ignota, de qua
C. AURELIANUS (b), solent præterea (inquit),
„sicut in podice, vel feminarum sinu, aut
matricis collo, etiam in vesica hæmorrhoi-
des

(a) Vide §. 26. a).

(b) Morbor. chronic. L. 5. C. 4. p. m. 574.
TRNKA Hist. Ham. Vol. III. G

„des generari, quæ fluorem sanguinis præstant, quibusdam intervallis variatum, quod oportet apprehendere prudentem; cum non coacervata primo fuerit effusio, sed augmentis quibusdam promota, interjectis defctionibus, ac sæpe retento sanguine doloris pubetenus admonitione cessante cum tensione inguinum, & gravedine clunium, vel renum consensu; & cum sanguis erupit supra dictorum relatione (relevatione) sequente; siquidem aliquando inflatæ, ac tumentes hæmorrhoides difficultatem, vel abstinentiam faciunt miętus, quam Græci dysfuriam vocant, vel uriam (ischuriam).“ Veterum doctrinam de vesicæ hæmorrhoidibus insequentia quoque tempora suis observationis confirmarunt. Unum hic interea testem P. HOECHSTETTERUM (a) nominasse fat esto, scribentem: „fundit namque sæpius hæc hæmorrhoides sanguinem in vesicam, ut absque vitio renum mingatur, quod in nobili quodam licuit videre, & non infimæ famae medicus de se hoc mihi recensuit.“ Plura deinceps aevi nostri ejusmodi observata paſsim in medium afferenda rei veritatem abunde commonstrabunt.

b) *Mucosæ*, dum sanguinis loco mucus eum urina excernitur. Veteribus, quod sciam

(a) Obs. med. Dec. 1. Caf. 2. Schol. p. 3.

sciam, affectio haec prorsus ignota fuit: neque vero hodie etiam tam per vulgata est illius idea, ut omnibus innotuerit; quandoquidem non obscuri nominis viri eam cum aliis considerint. Quid enim aliud est **SAUVAGESI** (a) *pyuria viscida?* in qua tamen haemorrhoidum ille ne verbo quidem meminit. Quam parum etiam saepe in Belgio noscatur malum, satis id testatur I. VAN DER HAAR (b); & I. C. A. THEDEN (c) haud ita dudum abhinc est conquestus, morbum hunc a gonorrhœa saepenumero non discerni, ut alios praeteream. Exempla haemorrhoidum vesicae mucoſarum literis qui prodiderint, oppido pauci sunt, quos inter DETHARDING (d) HENCKEL (e) PEZOLD (f) HOFFMANNUS (g).

CAPUT

(a) Nosol. meth. cl. 9. ord. 3. Sect. 28. No. 5.

(b) Samml. zum Gebrauche praet. Aerzte 2. Band 2. St. p. 47. fqq.

(c) Neue Bemerk. u. Erfahr. zur Bereicherung der Wundarzn. 2. Th. 26. Cap. p. 214. fqq.

(d) Vide §. 18. B. No. 1. 4. & §.

(e) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(f) Vide §. 13.

(g) Vide §. 19.

CAPUT III.

PROEGUMENAE CAUSAE.

§. III.

SEXUS *masculus*; enim vero ex 31 aegris haemorrhoides vesicae, qua rubras, qua albas pastis, quos coram habeo, nonnisi unicum STORCHII (*a*) mendicam video haematuria haemorrhoidalii laborasse. Nec ratio deest: Cum enim universim haemorrhoidalii morbo viri magis; quam feminae sint obnoxii, sanguine in his per uteri vasa inventiente exitum; haemorrhoidibus vesicae tanto illae etiam rarius affliguntur, quod apud ipsas intestinum rectum inter, ac vesicam uterus interjaceat: quo fit, ut huic etiam rami aliqui haemorrhoidalium vasorum impendantur, atque eo pauciores, ac vix aliqui ad vesicam perveniant, simul etiam ab origine horum vasorum remotiorem. VAN DER HAAR (*b*) tamen feminas varis, aut gutta rosacea foedatas mucosis vesicae haemorrhoidibus obnoxias esse afferit.

§. IV.

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) L. c. p. 52.

§. IV.

2. AETAS adulta; cuius nempe sunt proprius morbus haemorrhoides generatim.
 (a) Interea tamen quemadmodum haud ita raro evenit, ut junioribus quoque rubrae ex ano fluant, ob rationes singulares; ita etiam quandoque haematuria haemorrhoidalis ex interturbatis ani haemorrhoidibus accidere est observata, ut in MATERNII (b) puerō, ac PEZOLDI (c) figulo, quorum hic annos 26, ille 13 natus erat. Albae autem haemorrhoides vesicae, quantum per observata constat, nunquam ante consistentem aetatem, aut huic proximam oboriuntur. THEDEN (d) negat homines ante 30 annum hoc malo perinde corripi; ac eos, qui hanc aetatem jam praetergressi sunt; nisi forte junioribus jam haemorrhoides cœcae molestiae esse cœpissent SELIGMANN (e) vero rarius id ipsum ante 40 annum evenire censet: „ea enim aetate „homines magis; quam alia „constitutiōni pituitosae obnoxii sunt, & generatim morbis a causa ferosa magis: quam san-

(a) Vide Tom. I. §. 10.

(b) Vide §. 23.

(c) Vide §. 12. Nro. 3. 2).

(d) L. c. p. 215.

(e) Diff. cit. Sect. 3. §. 10.

„sanguinea afficiuntur.“ Denique G. C. DE-
THARDING (a) „ætas huic affectui obnoxia
„(inquit) semper „fere est senilis, ut ante an-
„num 50um vix unquam observaverim.“ Ego
inspecto pro more meo ægrorum literis man-
datorum, quorum de ætate constat, elenco
reperio unum HOFFMANNI (b) ægrum 37 an-
norum, alterum quinquagenarium (c), ejus-
demque ætatis virum HENCKELII (d), futo-
rem PEZOLDI (e) unde sexaginta annos na-
tum, sexagenarium DETHARDINGII (f) virum.
Et vero mucosos morbos in proiectam ma-
gis; quam aliam cadere ætatem in confessu est.

§. V.

3. TEMPERIES sanguinea, cholericæ,
melancholica, vel ex his mixta sanguineo-
cholericæ, sanguineo - melancholica, melan-
cholico - cholericæ; quippe quæ ad hæmo-
rrhoi-

(a) Diff. de hæmorrhoidib. vesicæ mucosis Schol.
ad §. 5. (4to Rostock 1754. Resp. F. P.
NAUDT.) in HALLERI. Disp. med. per
T. 7. No 269. p. 783.

(b) Vide §. 19.

(c) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(d) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(e) Vide §. 13.

(f) Vide §. 12. B. Nro. 1.

rrhoidales affectiones maxime sunt proclives (a).

§. VI.

4. LAXITAS vasorum vesicæ (aut p. n. illorum vel amplitudo, vel dilatabilitas nativa) cum diathesi mucosa sanguinis. Laxitas vel mucositatem, vel ita illam facile producit; alterutrius autem genesi favet temperies ante (b) diæta, quam ætas provectionis cito amplectitur, præprimis, ubi procatarcticæ causæ accesserint.

§. VII.

5. GENTILITIA dispositio cum ad hæmorrhoides contrahendas permultum conferat (c): satis liquet, illam, vel quatenus ad ani tantum hæmorrhoides a majoribus accepta ex harum interceptione hæmorrhoides vesicæ indirecte producit, vel quatenus ad vesicæ hæmorrhoides directe connata est (utut exemplo adhuc destituar), e censu prægumenarum causarum expungi neutquam posse.

CAPUT

(a) Vide Tom. I. §. 12.

(b) Vide §. præced.

(c) Vide Tom. I. §. 15.

CAPUT IV.

PROCATARCTICAE CAUSAE.

§. VIII.

I. INGESTA varia vel fluxum hæmorrhoidum ex ano turbantia; vel humores uberioris ad vasa vesicæ determinantia, imprimis diuretica, & aphrodisiaca, quæcis HENCKELII (a) vir ad excessum usque est abusus. GOHLII (b) autem homo turbatis vini potu, & neglecta Væ Se cœcis ani hæmorrhoidibus cruentum in mictum prolapsus est.

§. IX.

2. VENUS immoderata humores ad genitalia, & vesicam uberioris alliciens; obser-
vavit enim THEDEN (c) mucosas vesicæ hæ-
morrhoides ut plurimum iis obtingere, qui
exlegem, ac vel maxime libidinibus non ex-
fatiandam vitam transfigunt, velut HENCKELII
(d) viro accidit.

§.

(a) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(b) Vide §. 19.

(c) L. c. p. 217.

(d) Vide §. 18. B. Nro. 2.

§. X.

3. HÆMORRHOIDES ani anomalæ, dum
nimirum sanguinis in hæmorrhoidalia ani vasa
nisus vel sponte naturæ ab his ad vesicæ de-
flebit vasa, vel excessu ab ægris in 6 rebus
non naturalibus commisso ab intestino recto
ad vesicam regurgitare cogitur. Atque hæc
est princeps hæmorrhoidum vesicæ causa, de
qua etiam DETHARDING (a) mucosæ (inquit)
hæmorrhoides vesicæ „vix unquam se exsere-
re solent, nisi motus hæmorrhoidales præ-
cesserint, sive sanguinis sinceri, sive muci-
„saltem exclusio contigerit, sive in solis, sed
„irritis naturæ conaminibus huc respicienti-
„bus substiterint. Sæpius tamen ab hæmo-
„rrhoidibus externis cœcis, quam internis
„suppressis hanc evacuationem esse fuit de-
„prehensum, cuius ætiologia in immediata
„vasorum colli vesicæ cum hæmorrhoidalibus
„externis connexione est reposita.“ Hæc au-
tem, utut de solis mucosis dicta, de rubris
perinde sunt accipienda. F. HOFFM. (b) de
midu cruento agens „contingit hoc (inquit)
„maxime per translationem, sive, quæ Græ-
„cis dicitur, metestasin excernendi sanguinis
„per menses, aut hæmorrhoides, iis vel cel-
„santibus, vel obstructis, aut suppressis. Vi-
„dimus

(a) Diff. cit. l. c. p. 782.

(b) Med. rat. Syst. T. 4. P. 2. S. 1. C. 6. §. 7.

„dimus nos talem criticam miſtionem libera-
 „liorem in viris . . . plethoricis juvenilis,
 „vel etiam senilis ætatis ſuppreſſo, vel etiam
 „penitus ceſſante hæmorrhoidalı fluxu“ &c.
 Et paulo poſt (a) „præterea non ſemel (sub-
 „dit) fed aliquoties notavimus in ſenibus
 „deficiente fluxu hæmorrhoidalı, item in vi-
 „ris ætatis conſiſtentis hæmorrhoidibus cœcis,
 „& tumentibus ſi affecti fuerint; a motu cor-
 „poris, & animi fortiori ſanguinis portionem
 „non exiguum bruno colore instar decocti
 „caffee tincti citra utinæ diſſicultatem cum mi-
 „etu prodiuiſſe; qui procul omni dubio ex
 „vafis veſicæ ſanguineis circa sphincterem ejus
 „tumentibns, & apertis profectus fuit. Venæ
 „enim hæmorrhoidales externæ communicaunt
 „cum veſica, & ramos etiam ad eam spar-
 „gunt; minime vero (ut nonnullorum fert
 „opinio) de internis id putandum, quarum
 „ramos ad veſicam excurrentes anatomicus
 „hucusque vidit nullus.“ G. H. BEHRII (b)
 consiliarius 66 annorum anno ætatis 61 va-
 lidos lumborum, dorsique dolores naſtus eſt,
 haſtenusque fere aſſiduum ani pruritum pa-
 tiebatur, nonnunquam vero etiam in brachiis,
 præſertim in lecto, diuque jam neglecta Væ
 Se demum urinam reddebat cum ſabulo, mu-
 loque muco, & aliquoties etiam ſanguinem
 fince-

(a) Ibidem §. 8.

(b) Medic, Consultat. Consil. II. p. 70. ſqq.

ancerum, vel filamenta rubra cum lotio redidit, haud dubie ob hæmorrhoides exitum per anum non invenientes. Simile quid & in STAHLII (*a*) gonagrico est observatum. Porro a fluxu hæmorrhoidum non rite succedente mihi cruentum nahtus est cum GRASSII (*b*) mercator; tum HOFFMANNI (*c*) vir. Id ipsum etiam a suppressione fluxus dieti accedit viro cuidam GOHLIT (*d*) & alteri HOFFMANNI (*e*), nec non REINESII (*f*) Pastori, ac ROLFINCII (*g*) ægro. Neque sponte etiam subsistens fluxus parcere semper solet; quippe VAN DER MONDE (*h*) sistit ægrum, cui cum hæmorrhoides statis temporibus per aliquot annos fluxissent; emanenti tandem fluxui successit mihi copiosi sanguinis cum lotio, at fine ulla vel mejendi molestia, vel debilitate. Idem ex eadem Causa malum nahti sunt BECKERI (*i*) senex,

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Vide §. 23.

(*c*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(*d*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(*e*) Vide §. 19.

(*f*) Vide §.

(*g*) Vide §. 20.

(*h*) T. i. p. 168.

(*i*) Vide §. 17.

fenex, & NESTERI (a) vir, ac mendicabulum STORCHII (b): quid quod vel ipsæ etiam cœcæ ani hæmorrhoides interceptæ hæmaturiam attulerunt? ab iis sane vini potu interturbatis GOHLII (c) vir; ab iisdem terrore discussis JOERDENSII (d) homo - cruentum in mictum inciderunt. Eadem porro omnia albas quoque vesicæ hæmorrhoides invexisse sunt observata. Sic a subsistente hæmorrhoidum solenni fluxu mucosas vesicæ hæmorrhoides contraxere DETHARDINGII (e) senex, ac HENCKELII (f) homo; a cœcis hæmorrhoidibus non reversis duo alii DETHARDINGII (g) ægri malum idem nocti sunt, & a turbatis Væ Se in brachio facta cœcis itidem hæmorrhoidibus eadem mucosæ vesicæ in PEZOLDI (h) futore sunt consecutæ.

CAPUT

-
- (a) Ibidem.
 - (b) Vide §. 19.
 - (c) Ibidem.
 - (d) Vide §. 18. b) Nro. 1.
 - (e) Ibidem.
 - (f) Ibidem Nro. 3.
 - (g) Ibid. Nro. 4. & §. 22.
 - (h) Vide §. 13.

CAPUT V.
SYMPTOMATA.

§. XI.

Quantum ad hujus morbi symptomata attinet, nulla subinde adsunt, ubi fluxus faciles habet exitus; quod etsi in rubro saepius locum habeat; tamen in albo quoque interdum ut rarius obtinet, de quo DETHARDING (a) „aliquando (inquit) clandestine procedit nullas molestias secum ferens; raro autem contingit hoc morbo correptis felicitas ista, „quin varia experiantur symptomata plus minus acuta.“ Quod ipsum etiam de hæmaturia valet; nisi quod in hac, ut dictum, saepius illa felicitas contingat. Ceterum symptomata, queis hæmorrhoides vesicæ stipari solent, duplicis sunt generis; alia cuivis affectioni hæmorrhoidalì communia, a nisu sanguinis in hæmorrhoidalìa vasa pendentia, & prolixè alibi (b) jam data, cuiusmodi etiam perpetrati sunt ægri BEHRII (c), HENCKELII
(a)

(a) L. c. p. 783.

(b) Vide Tom. I. §. 31. fqq.

(c) Vide §. præced.

(a) ac MATERNII (b); alia vero affectæ ipsi vesicæ ab infarctis ejus valsis, lacefitisque ibi nervis propria sunt, & ad obtainendam anomaliæ hujus hæmorrhoidalis diagnosin scitu maxime necessaria. De his tantummodo in præsenti sermo erit. Sunt autem

§. XII.

I. FLUXUS *phænomena* ipsa varia, nempe

1. *Humor excretus*, qui est vel sanguis vel mucus.

a) *Sanguis*, qui excernitur, aut' fluidus est, aut coactus; prior porro vel sincerus rutilus, vel serofus, iste ut plurimum sub fine; ille sub initium redditur. HELWICHII (c) senex fluidum mejebat sanguinem, purum initio, dein loturæ carnium similem. Grumosum autem ab indito cathetere GABELCHOVERI (d) febricitans excrevit.

b) *Mucus* vero hæmorrhoidalis quoniam sit præditus colore, odore, consistentia & ducti-

(a) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(b) Vide §. 23.

(c) Vide §. 18. B. Nro. 2.

(d) Ibidem Nro. 1.

ductilitate, operæ prætium est advertere animum, in quo

a. Odor primum si exploretur „ut plurimum nullum exhibet, inquit DETHARDING „(a) & qui naribus objicitur, urinæ magis „tribuendus; ast in cacochymicis, & scorbuticis imprimis ætate provectis nonnunquam „specifice acris, & falsuginosus quasi deprehenditur, ut nisi matulæ sèpius repurgentur, vel mutentur; totum conclave ægrotati cum fastidio adstantium repleat; ad purtridum tamen, vel purulentum nonnunquam „accedit.“ Ejusdem porro muci est

b. „Color . . . ut plurimum mucilagini seminis cydoniorum, vel psyllii non absimilis; interdum magis obscurus imo bruneus, & quando exclusio multis molestiis stipata: sanguinolentus existit; nonnunquam striæ „sanguineæ muco intermixtae deprehenduntur“ (b), videlicet ut in mucosis ani hæmorrhoidibus.

y. *Consistensia* vero hujus muci varia, ac mira interdum habet adjuncta, namque DETHARDINGIO (c) notante „mucilago hæc „quan-

(a) L. c. p. 782.

(b) Ibidem.

(c) Ibidem.

„quando cum urina evacuatur, huic est in-
 „termixta; simul ac autem in matula refrixe-
 „rit, particulæ ejus gelatinosæ sibi magis co-
 „harentes, & specificè graviores redditæ pe-
 „detentim fundum petunt, ut ab urina facile
 „dignosci possint: interdum tamen tantam
 „ejus tenacitatem deprehendere licuit, ut
 „miscelam cum lotio calido intimorem rectu-
 „saverit, & post hujus exclusionem nonnisi
 „moleste per urethram exprimi potuerit.“ Ge-
 latinorum id genus sedimentum in quinqua-
 genarii lotio apud HOFFMANNUM (a) præsto
 erat, cui filamenta sæpius velut abrasæ tuni-
 cæ permixta dicuntur fuisse; mihi potius te-
 nuissimi videntur fuisse polypi mucosi, quales
 grandiores etiam cum copioso muco, teretes,
 & albicantes in fundo matulæ PEZOLDUS (b)
 apud futorem deprehendit, & „cujusmodi
 „corpora teretia instar lumbricorum sanguine
 „leviter tincta in quodam nobili varicibus
 „vesicæ non sine maximo cruciatu laborante
 cum urina emissâ postea observavit“ (c).

d. Duicitas denique muco huic tanta
 plerumque est, ut in longa seſc fila duci pa-
 riatur, quemadmodum in PEZOLDI (d) fu-
 tore,

(a) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(b) Vide §. 13.

(c) Obs. med. chirurg. 29. p. 53.

(d) Vide §. 12.

tore, & HENCKELII (a) ægro, in quo a glande penis ad matulæ usque fundum cubitorum longitudine se extendebat.

2. *Copia* porro sanguinis juxta, ac muci magnopere variat. Enim vero

a) *Sanguis* haud secius, ac in fluxu ex ano jam modicus, jam uberior, jam plurimus erumpit. In GOHLII (b) viro levissimum quid illius lotio inerat; contra ea GRASSII (c) mercator quotidie ultra ~~tbij~~, & HELWICHII (d) tenex, ac REINESII (e) Pastor plenas illius matulas excernebant; in STORCHII (f) autem mendica sanguinis copia urinæ copiam æquaverat.

b) *Mucus* vero non eandem hic sequitur cum albis ani hæmorrhoidibus proportionem; cum enim in hisce raro unquam uberior illius vis reddatur; in mucosis vesicæ hæmorrhoidibus ad non mediocrem quandoque

co-

(a) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(b) Ibid. Nro. 4.

(c) Vide §. 23.

(d) Vide §. 18, B. Nro. 2.

(e) Vide §. 27.

(f) Vide §. 19.

copiam colligitur: „in aliis enim vix tunciam,
„in aliis libras fere attingit“ inquit SELIG-
MANN (a). In HENCKELII (b) homine una
mictione 3ij. 3iij. illius obtinebantur; ad li-
bras tamen reddi nondum comperi: seduxisse
haec in re nonnullos videtur BETHARDING,
dum hæmorrhoides vesicæ mucosas confudit
cum diabete chyloso, ubi ingens chyli vis
cum lotio ejicitur (c).

2. *Tempora denique excretionis hæmo-
rroidalis e vesica fere in totum congru-
unt cum fluxibus hæmorrhoidalibus alvinis.
Mictus*

a) *Cruentus* ut plurimum periodice in-
star fluxus hæmorrhoidum ex ano affligit, ita
ut adhibitis remedii cessans percuratus jam
videatur, donec denuo reversus spem frustre-
tur. Sic HEURNIUS (d) „vidit, ægros, qui
„cum hæmorrhoidibus tentari solebant, cum
„urina sanguinem effundebant certis spatiis
„sine noxa.“ Idem etiam refert H. SAXONIA
(e) de nobili Patavino, & REINESIUS (f)
de

(a) L. c. §. 8. p. 20.

(b) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(c) Vide §. 16. B. Nro. 3.

(d) Comment. in HIPPOCR. Lib. 6. aph. 10.

(e) Vide §. 12. Nro. 4.

(f) Vide §. 27.

de suo Pastore. c) PEZOEDUS (a) figuli me-
minit pallidi, qui ab inéunte pueritia ad 26um
ætatis annum, quo obiit; quovis mense san-
guinem mejebat, quod ipsum fere omni mén-
te etiam in HOFFMANNI (b) quadragenario
est observatum. Variis ex intervallis hunc
mictum perpetui sunt ægri BECKERI (c) ac
NESTURI (d).

b) *Mucosus* autem, albarum ani hæmò-
rrhoidum instar, per initia ex intervallis affli-
git; sensim vero habitualis factus evadit al-
fidius. Hinc DETHARDING (e) „statas (in-
quit) raro servat periodos; sed irregulari
„typo incedere solet: in quibusdam sine in-
„termissione continuat, plurimam tamen par-
„tem sua admittit temporum intervalla: Haec
„itidem sub una quaque urinæ exklusione ob-
„servatur, quin hæc quandoque limpida exi-
„stat, tempore tamen matutino, somno no-
„cturno exantlato, præsertim visui sese exhibe-
„bere solet.“ Sic unus (f) illius ægrorum
fluxum hunc a principio ex intervallis patie-
batur;

(a) Obs. med. chirurg. 35.

(b) Vide §. 19.

(c) Vide §. 17.

(d) Ibidem.

(e) L. c. p. 783.

(f) Vide §. 18. B. Nro. A.

batur, donec sensim continuus evasisset, alterum (a) quoque assiduo affixit. HENCKELII (b) perinde ab homine bis quotidie (uno tam
en vel altero subinde die intercurrente va-
cuo), idque horis non matutinis, ut in HOFF-
MANNI (c) quinquagenario; sed meridianis,
ac vespertinis mucis cum lotio reddebatur;
alteri autem HOFFMANNI (d) viro mucosæ
excretiones gva vel ioma quaque hebdomade
recurrebant.

4. *Modus* denique hujus excretionis
varius esse potest, quo lotium cum sanguine,
vel muco ex vesica exigitur. Sæpenumero
enim accidit, ut primis vicibus solus sanguis
sine ulla urina mingatur, ut in GABELCHO-
VERI (e) febricitante, HENCKELII (f) sene
ac NESTERI (g) ægro, pluribusque aliis:
quandoque cruent lotio permistus redditur,
velut in GOHLII (h), & GRASSII (i) ægris:
ali-

(a) Ibid. Nro. 1.

(b) Ibid. Nro. 3.

(c) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(d) Vide §. 19.

(e) Vide §. 18. B. Nro. 1.

(f) Ibid. Nro. 2.

(g) Vide §. 17.

(h) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(i) Vide §. 23.

aliquando autem eodem sub misere sanguis primum erumpit, quem deinde lotium consequitur. Sic H. SAXONIAE (a) nobilis Patavinus per 5 annos ex intervallo copiosum sanguinem sponte, subitoque ante urinam mejebat; quod ipsum REINESIUS (b) de suo Pastro narrat. Videntur nempe varices hæmorrhoidales sub vesicæ a fundo versus orificium contractione ab lotio deorsum presso crepantes suum prima vice sanguinem eructare, quo demum subsistente urinæ primum exitus conceditur. Subinde varices dictæ ipsum orificium vesicæ obsident; atque tunc eo promptius ante lotium erumpit sanguis: id quod VAN DER HAARII (c) casus abunde monstrat. De muco autem nil dum simile ab observatoribus est connotatum.

§. XIII.

II. DOLOR tensivus, aut pressorius in vesica, partibusque ei connexis haud raro percipitur, in his ante mictum; in illa præsertim sub ipsa mictione. Doloris hujus causa multifaria esse potest, nempe vasorum hæmorrhoidalium infarctus, & vel maxime vesicæ spa-

(a) Pract. L. 3. C. 40.

(b) Vide §. 27.

(c) Vide §. 26. 2.

spasmus, de quo inter symptomata mucosarum vesicæ hæmorrhoidum agens DETHARPIUS (a) „hæc inter (ait) præcipuum esse solet spasmatica collum in primis vesicæ, & sphincterem tangens constrictio ingentibus subinde doloribus conjuncta, & non raro per urethram se diffundens. Sub his circumstantiis parva satis muci quantitas profluere solet, dum orificia vasorum coarctantur, & crispaturam quasi induunt.“ Interea tamen non albis modo; verum rubris etiam vesicæ in hæmorrhoidibus dolor e vesicæ collo in urethram se diffundit, siquidem ad penem usque NESTERI (b) in viro hæmaturiam passo se extenderat. Nonnullis dolor ab ano ortus per perinæum ad vesicæ usque collum, imo ad penis usque glandem propagatur, idque in rubris non minus, ac mucosis vesicæ hæmorrhoidibus; mercator enim GRASSII (c) hæmaturiam passus, quoties ad matulam cogebatur, sensum prius calidi humoris cum dolore, ac tenesmo a recto per perinæum, & collum vesicæ, ac urethram usque ad glandem penis penetrantis percipiebat. Ejusdem modi autem dolorem in mucoso quoque morbo obtinere notat SELIGMANN, cuius solius ope a

go.

(a) L. c. p. 783.

(b) Vide §. 17.

(c) Vide §. 23.

gonorrhœa discerni possit (a) : „præsertim
„vero adest (inquit ille) dolor lumborum
„ad anum tendens, dolor lancinans cum sen-
„su ardoris, & tensionis ab intestino recto
„per perinæum ad sphincterem vesicæ vergens,
„ibique quasi moram trahens, sensus pressio-
„nis, ponderisque in perinæo, id quod (ut
„exercitatissimus hujus urbis in arte medicus
„me certiore fecit) ferè signum pathognomi-
„cum constituit ad hunc morbum a gono-
„rrhœa distinquendum.“ STORCHI (b) au-
tem mendica hæmaturiam nocta dolorem circa
solam vesicam experiebatur; atque hic idem
in mucoso quoque statu observatur, qui licet
non acutus, sed pressorius tantum sit; usque
ædeo tamen gravis esse aliquando consuevit,
ut ægri illi ferendo non sint. Luculentum
hujus rei exemplum narrat C. PEZOLUS (c):
Sutor 59 annorum, melancholico cholericus,
macer, post juventutem boreali in frigore
cibis falsis, crassis, ac viscidis sustentataam,
in qua subinde in consortiis immodice bibens
frequentes patiebatur cephalalgias, ac narium
hæmorrhagias, phlebotomiis tamen cedentes,
& arcendas, deinceps vitam sedentariam, par-
cissimique potus, cum cibis acribus, dyspe-
ptis,

(a) L. c. §. 7. p. 49. sq.

(b) Vide §. 19.

(c) Obs. med. chirurg. 28. & 29.

ptis, ac lentis, flatulentisque iniens, & ad
iram, mæstiamque pronus, cum alvi quo-
que insuper obstrunctioni obnoxius fieri cœ-
pisset; cœcas hæmorrhoides adeptus est, eo
cum commodo, quod ex hoc tempore ce-
phalgiæ, nariumque hæmorrhagiæ desierint.
Quapropter inutiles jam fore Væ Ses ratus,
eas triennio neglexit, licet crebri circa ver,
& autumnum capitis, pectorisque catarrhi,
velut molimina pristinarum affectionum, recur-
sarint. A. 1700 mensibus Sept., & Octobr.
gravi iterum, longaque tussi corripitur, do-
nec phlegmatorrhagia narium secuta eam le-
vasset, ac magis etiam sumta abhinc post præ-
missum purgans diapnoica, & pectoralia; le-
vis tamen adhuc tussicula superstes metum
phthiseos a medico, nescio quo, incussum
fovebat, usque dum 14a Octobr. noctu mo-
dicum sanguinis floridi æger tussiendo ejecit
non sine artuum lassitudine, pedum, & cru-
rum frigore, faciei contra æstu, ac rubore,
triduque alvi obstrunctione, quam cum reti-
cuisset futor, imperata Væ Se tantum ei me-
tum injectit, ut in eclysin laberetur. Sub hac
soluta alvus cum stricturæ ventris levamine,
Secta dein brachii vena, pediluvia tepida ad-
hibita, datique Æs ex corall. r., lap. 69,
cinnab. nec non conserv. ros., quibus gravius
urgente tussi sem. hyosc. albi parca dosi jun-
ctum, additæ & congruæ potiunculæ. His
zoma Octobr. hæmoptoe prorsus desit, ac non
multo post etiam tussis. Verum nec frigore
artuum inferiorum, nec cibis crassis, lentis,
cru-

crudisque dehinc vitatis Martio A. 1703 in bubones primum, tum 19na April. in tridui incidit ischuriam cum dolore, ac duritie circa vesicam. Pharmacopœus calculum adesse ratuſ dat purgans, & Ram q̄ri, a queis lotium motum tam viscosum, ut in fila duci potuerit, subsidentibus una in fundo vitri citra fabulum corporibus albanticibus, lumbicos conspicuæ magnitudinis æmulantibus. Facies sutoris e flavo virescens, & saepius jam hæmorrhoides cœcæ prius toleratæ fatis docuere, mucosam hanc urinam ad mucosas vesicæ hæmorrhoides pertinere, quas 2da Maji, libera prius lotii excretione reddita, consequæ sunt cœcæ ani hæmorrhoides conspicuæ. At cum homo ab esu casei, aliorumque lentorum, ac dyspeptorum non abstinuisse, iterque A. 1707 Aprili ventoso, ac frigido super navi suscepisset, a perfrigeratione incidit rursus in ischuriam, & alvi obſtructionem. Inſeffibus, enematibusque urina mota quidem, at pallida, & aquosa cum longis filamentis mucosis semper adhuc, ut prius, procedebat, donec semestri ante obitum involuntarie, semperque pressorio cum dolore stillasset. Nam Augusto A. 1711 post diuturnam dyforexiam corripiebatur magna virium prostratione, debili pulsu, singultu, pedumque tumore, urina preffivo illo cum dolore stillante, glutinosa, ac viscida, queis in fine morbi fusca, cruentæque dejectiones se junxere. Hæc symptomata die 10 morbi mors finivit, ægro in agone de solo illo pressorio, non acuto dolore

lore conquerente, poscenteque novissime, ut cuneus ille premens auferatur. In cadavere vesica discissa angustior, crassiorque reperta; in ejus cavo ne granulum quidem fabuli, nem cum calculus inventus; at circa collum interius utrinque tumor durus detectus, in quo discisso similis glutinosa materia, qualis cum lotio excernebatur, est inventa.

§. XIV.

III. MICTURITIO, *dysuria*, *ischuria*, tam rubris, quam mucosis vesicæ hæmorrhoidibus solennes, quippe quas vel vasorum infarctus, varicesve, vel sanguis, mucusve in cavum vesicæ effusus, ac præsertim per moram coactus causant, videlicet nervos irritando, & viam pro exitu arctando, orificiumque vesicæ obturando. Sic micturitio crebra molesta fuit ægris DETHARDINGII (a), & HOFFMANNI (b) quorum ambo mucosas vesicæ hæmorrhoides peressi sunt; *dysuria* porro accidit GRASSII (c) mercatori, & HENCKBLIT (d) homini, ac SCHMUCKERI (e) ministro sta-

tuum,

(a) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(b) Vide §. 19.

(c) Vide §. 23.

(d) Vide §. 18. Nro. 3.

(e) Vide Tom. II. §. 415. Nro. 3.

rum, nec non viro NESTERI (*a*); *ischuria* denique laborarunt, & quidem a grumoso sanguine vesicæ orificium obturante, ægri GABELCHOVERI (*b*), ac JOERDENSII (*c*); a muco, & polypis PEZOLDI (*d*) futor; a varicibus denique orificium vesicæ obſidentibus VAN DER HAARII (*e*) vir. Interea tamen in rubris hæmorrhoidibus vesicæ ſæpe nulla ſenſibilis moleſtia in mejendo ægros fatigat, quemadmodum in ægro apud VAN DER MONDE (*f*) obtinuit, plurimisque aliis obtinet;

CAPUT VI.

DIAGNOSIS,

§. XV.

I. ABSOLUTA: *diagnosis* utrarumque vesicæ hæmorrhoidum obtinetur, si

i. *Cau-*

(*a*) Vide §. 17.

(*b*) Vide §. 18. B. Nro. 1.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Vide §. præced.

(*e*) Vide §. 26. a).

(*f*) Vide §. 10.

1. *Causæ illarum præviæ rite fuerint pervestigatae, cognitæque (a); si porro*

2. *Symptomata hæmorrhoidum tum communia (b) adfuerint; tum hæmorrhoidibus vesicæ propria (c); si denique*

3. *Causæ, & symptomata morborum aliorum analogorum characteristica abfuerint.*

§. XVI.

II. RELATIVA autem habetur, dum absoluta hæmorrhoidum vesicæ diagnosis confertur cum singularum seorsim hisce affinium morborum diagnosi: præcipui autem, cum queis confundi hæmorrhoides vesicæ possent, morbi sunt, qui sequenti in serie continetur, & quidem

A. *Hæmorrhagiae viarum urophorarum.*

1. *Haematuria renalis.* Verum in hac præter defectum symptomatum hæmorrhoidalium tam communium, quam hæmorrhoidibus vesicæ propriorum sanguis quoque excretus

(a) Vide §. 3. sqq.

(b) Vide §. II.

(c) Vide §. 12. sqq.

tus & fluidior est, & lotio intimius mixtus,
id est tardius matulæ fundum petens.

2. *Stymatosis*, at in hac sanguis non
ex vesica; sed urethra erumpit, sine lotio, &
sine mejendi nisu, imo sine voluntatis im-
perio.

B. *Sedimenta alba urinarum varia facile*
hæmorrhoides albas quandoque mentiri pos-
sunt, ita ut pro muco hæmorrhoidalib[us] ea quis
haberet; sed inter utraque discrimen produnt
excreti dotes nativæ (ut odor, sapor, ducti-
litas, &c.), copia, tum symptomata vel pro-
pria, vel aliena, denique causæ prægressæ.
Hinc

1. *Mucus non hæmorrhoidalis cum lo-*
tio excretis pro varietate causæ illum præben-
tis varie quoque ab hæmorrhoidalib[us] digno-
scitur. Solide hac in materia SELIGMANNUS (a)
versatus est, varietates hujus muci rite di-
stinguens. Sic si proventus muci sit:

a) *Spasmodicus*, docent id

a). Causæ prægressæ v. g. diuretica acris
assumpta vel applicata, præsertim cantharides.

β. Sym-

(a) L. c. Sect. 3. §. 9.

$\beta.$ Symptomata hæmorrhoidalem statum
prodentia nulla.

γ Muci excretio nec copia, nec tem-
porē cum hæmorrhoidalī statu congruens.

b) *Calculosus*, hoc produnt

a. Symptomata hæmorrhoidalia absentia
ex toto; nisi forte status calculosus fuerit
cum hæmorrhoidalī (ut sit) complicatus: at-
que tunc lucem affundit

$\beta.$ Calculi præsentis detecti per sua cri-
teria cognitio, ac præsertim

γ . Mucus calculorum foetidus, & a
fabulo sibi admisto opacior hæmorrhoidalī;
quod muci libero in aere exsiccatione in for-
ma calcis albæ obtinetur, ut capto hujus rei
tentamine A. HAEN (a), & I. A. MURRAY (b)
viderunt:

c) *Gonorrhœicus*, illi cognoscendo suffi-
ciunt eadem, quæ ante de stymatosi dicta
sunt; & dum lotio etiam sub mihi fese mi-
scet; huic in forma filamentorum exilitim int-
natat;

(a) Rat. med. P. 5. C. 5. §. 6.

(b) Comment. de arbuto uva ursi. Sest. 3. §. 6.
p. 47.

nata, dum hæmorrhoidalis mucus in grandiorem collectus massam fundum vasis urinalis petit, nihil ut dicam de causis gonorrhœæ benignæ prægressis manifestis (quæ ut plurimum sunt; onania diu, crebroque exercita, gonorrhœa virulenta prægressa, arthritis anomala, &c.), & absentia status hæmorrhoidalis

2. Pus autem ex ulceribus, renum, ureterum, vesicæ, &c. cum urina emictum ab hæmorrhoidalali muco discernunt complura;

a. Status hæmorrhoidalis plerumque absit; nisi forte hic ipse ulcera vesicæ, & ani causasset, vel se iis cōplicasset. Porro

β. Pus & paucius est muco dicto, & opacius, & prunis injectum pessime fetet.

γ. Causæ quoque ulcerum prægressæ, atque solennia eorundem symptomata præsentia non parum ambiguitati tollendæ lucis afferent.

3. *Chylus* in diabete vero urinæ junctus perinde ab hæmorrhoidalali muco multum disfider, a quo illum imprimis distingueant (*a*).

a.

(*a*) Conferatur meus commentarius de diabete
§. 46. p. 89.

a. Copia longe major, quam qua mucus
hæmorrhoidalis excerni solet; tum

b. Tempora excretionis stata quotidie
post chyli confecti in sanguinem trajectum.

y. Dotes omnes chyli: color proinde
griseus, dulcis sapor, ductilitas in fila nulla,
at maxima cum lotio miscibilitas, tardissi-
musque ab eodem secessus, &c. ac denique

d. Macies cita; quam hæmorrhoides ve-
ficiæ mucosæ longe tardius inducunt. Mirum
est, potuisse a DETHARDINGIO (*a*) hos duo
morbos confundi!

4. *Creta* denique, aut calx arthritica
cum lotio redditâ a muco hæmorrhoidalî op-
time per experimenta chemica instituta dis-
cernitur.

CAPUT

(*a*) L. c. Schol. ad §. 4.

CAPUT VII.

PROGNOSIS.

S. XVII.

I. CURABILITAS ceteris paribus major est in rubris; quam albis hæmorrhoidibus vesicæ, perinde nimirum, ac in dupli hoc fluxu ex ano obtinet. In albis enim vesicæ hæmorrhoidibus, ut recte SELIGMANN (*a*) animadvertisit, ubi recens adhuc est malum, & hæmorrhoides ex ano rite antea fluxerunt, eaque nec diu suppressæ fuerunt; ætasque, & vires bene adhuc vigent, medelam omnino non respuit; quin vel radicitus forte dispositio hæmorrhoidalnis auferri potest, vel saltem non ægre ad sedem naturalem revocantur: ubi vero jam altius egit radices, & in consuetudinem quasi erronea hæc excretio jam venit; ubi hæmorrhoides nunquam antea legitimum observarunt decursum, aut diu jam suppressæ fuerunt; ubi vires naturæ in chronicis alias morbis sumnum curæ sufficientes male opem ferunt; tunc malum plerumque doctam superat artem: difficultum enim est, negotium hæmorrhoidale relu-

(*a*) L. c. §. 12. p. 26.

„luctante natura in ordinem iterum revocare,
 „nihilque ad summum jam medico superest,
 „quam exertiones modum excedentes tem-
 „perare, symptomataque urgentia lenire. Id
 ipsum in ani quoque mucosis hæmorrhoidibus
 verum esse vidimus. Quin imo hæc eadem
 albarum hæmorrhoidum vesicæ prognosis ru-
 bris etiam per omnia convenit; quam enim
 ardua sæpe sit res, id genus hæmaturiam hæ-
 morrhoidalem persanare, uno, alterove al-
 lato casu juvabit ostendisse. I. M. NESTERI
 (a) familiaris vir 53 circiter annorum, san-
 guineo-melancholicus, obesus, in malum hy-
 pochondriacum pronus, a plurimis retro an-
 nis moderatum, ac periodicum hæmorrhoi-
 dum fluxum summa cum euphoria passus, isto
 ultra 3 annos non reverso ante biennium in
 autumno corripiebatur horrore, & æstu febrili
 cum inflammatorio tonsillarum tumore. Dem-
 tæ ex læva mediana circiter 3v sanguinis cum
 levamine. Sequenti autem nocte eminxit ul-
 tra ~~4~~ sanguinis puri sine ulla vel gravitate,
 vel tensione, vel dolore circa jecur, renes,
 ureteres, vel pubem; per 3 dies insequentes
 reddebat lotium carnium loturæ simile, cum
 acutissimis in pene doloribus; interdum urina
 guttatim cum tenesmo reddebat. Post varia
 lythontriptica cum internis, externisque emol-
 lientibus, quod calculus adesse crederetur,
 in-

(a) Misc. nat. cur. dec. x. ann. 8. Obs. 23.

incassum adhibita demum cum summo cruciatu,
 & ardore ima in pube, ac circa penem varios
 magnos, & oblongos instar jecoris lucii pi-
 scis grumos sanguinis mihi ejaculabatur, queis
 excretis dolor ocyus desit, & urina postea
 clara, citrina, diaphana, sine ullo crurore
 evadente æger ex integro convaluit, ratus
 se deinceps mali fore immunem. At post bi-
 mestre dolorificus mihi rediit, & abhinc
 ex intervallo 2, vel 3 mensium, aut longiori
 etiam recursabat: sanguis primum floridus,
 & sine lotio, ac sine lumborum dolore pro-
 diens mox in grumos abibat; hunc sequeba-
 tur niger cum copioso lotio, dysuria, ac te-
 nesmo, nec vel fluxus, vel dolor prius con-
 quiescebant; quam congruato in vesica
 sanguine frustulatim excreto. Incredibilis fere
 sanguinis copia ita exonerata est. Frustra varia
 sanguinem cohibentia, & consolidantia data,
 inter quæ decoctum contra hæmaturiam MYNS.,
 troch. de carab., imprimis **R**a Δ **O**lis **M**
I**C****H****A****E****L**. Ad sanguinem autem coactum resol-
 vendum datum decoctum rad. rub. tinct.,
 asparag., cum syr. de alth. FERN., oxym.
 squillit., ol. amygd. dulc. rec. expr., lap. 69,
 &c. Ad sanguinis æstum, & acre corrigendum
 exhibitum apozema e decocto malv., portul.,
 plantag., nymph., burs., pastor., sem. 4 frig.
 maj., c. syrupo portul., violar., tragacant.,
 & troch. GORDON &c. V. S. prophylactice,
 ac therapeutice in dextro brachio facta; sed
 quo sæpius hæc facta, eo copiosior fiebat
 hæmaturia. Nec utilius admotæ ano hirudines:

in circa morbus contumax relicta omni medicatione sibi relictus ex intervallis porro redibat. Appellenti fluxui præludebat omnium artuum lassitudo, & gravitas cum melancholia; eoque cessante æger hilaris factus integrerima fruebatur sanitate. Ejusdem erat contumaciæ mihi id genus cruentus in observatione H. L. BECKERI, apud c. c. ENGEL (a): nempe Senator 70 annorum sanguineo-cholericus, laute vivens, veneris in juventute appetens, 24to ætatis anno a crebra, fortique equitatione scrotalem herniam nascitus, 33. anno uxore ducta, ante 20, & amplius annos adeptus est hæmorrhoidum fluxum minus regularem, quo sponte iterum cessante ante 6 circiter abhinc annos incidit in hæmaturiam primum indolentem, arti tamen diu rebellem, & aliquoties reversam, quandoque sat diu, imo semestre etiam durantem, donec desit. At post modo iterum saepius ad leves vel corporis, vel animi motus recursare coepit, utut transitoria. Utina tunc sat copiosa, facileque missa, floride rubra, lintea rubidine tingens, deposito autem sensim sedimento rubello clarescebat. Subinde levis stranguria, vel ardor urinæ se junxit, subinde fatus vexabant, neque raro æstus internus, fugax, somnum tamen turbans. Hac quoque vice

(a) Specim. med. & Sylloge epist. Nro. I. p. 112. sqq.

vices omnia remediis cessere, graviora aliquanto post redditura. Et vero media anni in sequentis hyeme prehendabatur æger catarrhalis febre cum tussi, nova hæmaturia, & cerebra noctu imprimis micturitione, ac sub mictu urethræ ardore, alvoque per intervalla obstructa, omnia semper symptomata exasperante. Urina nocturna ex atro rubebat a sanguine; per vices etiam grumi sanguinis excreti. Aliquanto inde post orto tenebrosum singulis dejectionibus mucum paucum instar ranarum spermatis egerebat. Postmodum etiam cœcæ hæmorrhoides obortæ in ano, sed intra paucos dies idoneis remediis mitigatae. Hæmaturia demum quovis mense redibat. Flatus in ipsum subinde penem acerbissimo cum dolore irruerant. Interdam in lævi pedis digitis dolor arthriticus enatus, & manuum articuli paulo rigidiores visi. Post innumera efficacissima remedia incassum adhibita, nec nisi breve semper levamen afferentia, demum omnibus his miseriis finem mors attulit. STORCHII (a) quoque in mendica morbus se se curari non sivit, sibique fuit relinquendus.

§. XVIII.

(a) Vide §. 19.

§. XVIII.

II. EFFECTUS hujus ægritudinis duplicitis sunt generis: boni alii, ac salutares; alii pravi, ac plerumque funesti.

A. Boni sunt: spectata ipsa humoris ad vasa, & cavum vesicæ confluentis vacuatione, qua facta symptomata illam antecedentia tolli vel pro tempore, vel in perpetuum, si nempe nullus amplius novus illuc affluxus humorum contingat (id quod oppido rarum!) solent. Pro tempore tantum symptomata levabantur in mercatore GRASSII (*a*), & homine HENCKELII (*b*), donec novus vasorum infarctus enatus pristina hæc mala revocaverat. Quemadmodum autem hæmorrhoides ani mucosæ semel, bisve tantum apparentes evacuata omni materia ad vasa recti congesta non amplius abhinc rediere quibusdam in ægris, velut in amico STORCHII, (*c*); ita etiam in vesicæ id hæmorrhoidibus mucosis evenire posse haud improbabile est, ac forte hoc ipsum est, quod G. BAGLIVUS (*d*) aliquando observavit, nem-

pe

(*a*) Vide §. 23.

(*b*) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(*c*) Vide histor. hæmorrhoid. albar. §. 4. No. 2.

(*d*) Prax. med. L. 1. Cap. 9. de calc., & podag. p. 4. 117.

pe „arthriticus quidam Romæ excrevit urinam
 „crassam, & copiosam, quæ paulo post in
 „consistentiam gelatinæ coagulata fuit, & ita
 „liber evasit arthritide.“ Si arthritis illa ano-
 malis hæmorrhoidum motibus ortum debebat
 (a), & urina postmodo gelatinosa mucosæ
 re ipsa indolis fuit; quid vetat credere, hanc
 excretionem arthritidi illi hæmorrhoidalì cri-
 ticam perinde ex hæmorrhoidalibus vesicæ va-
 sis contigisse? neque aliorum etiam spectare
 existimò catarrhum illum vesicæ ab I. LIKU-
 TAUD (b) ita dictum, & observatum in juve-
 ne, qui vix ex ephebis excedens superata 14
 dierum febre rheumatico-arthritica post 7
 inde dies in aliam incidit febrem ab horrore
 exorsam. Hac vigente dolorem in epigastrio
 natum continuo sequebatur stranguria. Lotium
 erat turbidum; sed procedente morbo pone-
 bat uberrimum sedimentum subalbicans, mu-
 cosum copia ejus in dies adeo crescente, ut
 demum $\frac{1}{4}$ lotii exceperit. Febris typo catarrha-
 lium serotinis horis recrudescens circa 14 diem
 conquievit, lotio in bimestri pene adhuc dein-
 ceps procedente crassissimo, non sine virium,
 carniumque jactura, ut marasmus metueretur,
 donec sub solo congruo regimine sine ulla-

re-

(a) Vide Tom. I. §. 53. III. A. Nro. 2. l.)
 &c. §. 33. e. a.

(b) Synops. univers. prax. med. P. I. L. I. S.
 4. Cap. de catarrho vesicæ. p. m. 272. sq.

remediis sponte demum excretio hæc p. n.
desiisset. At mehercle hæc rara sunt!

B. *Mali* vero effectus pendent potissimum ab infarctu vasorum in collo vesicæ sensim magis, magisque invalecente, ac habituali demum effecto, humorumque in iis stagnantium, ac vel maxime muci degeneratione, unde spasmi vesicæ, ac tumores, extravasationes humoris in ejus cavum, micturitio assidua, ac dolores, lotiique excernendi vel difficultas, vel impotentia &c. Ex his vero pessima quæque, videlicet

I. *Ischuria* plerumque funesta, vel ob diuturnitatem, vel frequentiam. Ita DETHARDING (a) narrat sibi „obtigisse casum in ægROTO „sexagenario, qui olim hæmorrhoides cum „euphoria expertus abhinc ex vita sedentaria, „& mœrore gravi ultra annum nil harum præ- „ter molestam pressionem quandam circa os „sacrum, & vesicam cum leni stranguria sen- „serat. Hic prævio dolore obtuso circa con- „finia vesicæ urinariæ tandem cum lotio emit- „tebat mucum gelatinosum urina albidiorem, „& post quietem fundum petentem: quod „vero ab hac exclusione se aliquo modo le- „vatum percipiebat, illam sibi salutarem ra- „tus monita, & remedia . . . proposita asper-

, na-

(a) Diff. cit. Schol. ad §. 7. p. 787.

„nabatur strenue: donec gliscente pedetentim
 „malo, accidente vesicæ spasmo, stranguria,
 „& intercursantibus motibus febrilibus opem
 „medicam efflagitaret. Nec irrita eadem vi-
 „debatur; debit is etenim adhibitis auxiliis c
 „fonte chirurgico, pharmaceutico, & diæte-
 „tico petitis hæmorrhoides denuo apparebant
 „cum sensibili muci ex vesica profluentis, &
 „symptomatum eundem comitantium imminu-
 „tione; hic vero negotium redigi non poter-
 „rat, ut plane cessaverit, ut potius silentibus
 „per intervalla hæmorrhoidibus manifesto
 „recruduerit proventus mucositatis. Tan-
 „dem æger diuturnitatis morbi pertæsus am-
 „plectendo curationes empyricas ischuria, &
 „caro succubuit.“ Id ipsum etiam in rubris
 vesicæ hæmorrhoidibus vel ab infarctis ad
 orificio ejus vasis, præsertim varicosis fa-
 tis, vel a sanguinis grumis orificio incunea-
 tis w. GABELCHOWERI (a) vir 76 annorum,
 sedentarius, ex subsistente hæmorrhoidum in-
 ternarum fluxu, quem sæpius expertus fuit,
 incidit in gravissimam febrem cum 5 dierum
 ischuria, virium prostratione, ctebris rigoribus,
 siti non sedanda, æstu, & ardore alvi-
 no, fecumque foetidarum, nigrarum, & cru-
 entarum dejectionibus, lateris dolore, ac spu-
 to, vomituque cruentis. Indito vesicæ blan-
 de cathetere, pro lotio erupit sanguis flori-
 dus

(a) Curat. & Obs. med. Cent. 6. cur. 50. p. 116.

dus, coactus in grumos, tanta fere copia, quæ brachio demi solet. Ab adhibita medela cum nulla coctionis apparerent signa nocte ante r̄um diem supervenit dyspnœa, oculorum mador, & caligo, tremor, insultus anticipatio, duratio, & vehementia prioribus paroxysmis major, pulsu tacto inæquali, inordinato, ac minimo. Tandem prodit urina copiosa, nigra, & cruenta, alyisque fere lotio similis egesta: urgebat in expugnabilis tenesmus. Viribus exhaustis aeger 5a vespertina r̄mo morbi die perit, qui pernici equitatione in dissitum praedium haemorrhoides tum fluentes attritu ephippii (oborta forte inde inflammatione) cohibuit, atque inde in fatalem hanc prolapsus est febrem, sanguine haemorrhoidalii in vesicam converso. Porro c. F. JOERDENS. (a) meminit choleric i 48 annorum, qui post maxima in juventute diaetae vitia multos annos podagricus, & calculosus fuit. & subinde haemorrhoides ani, varices indolentes, citra ullum unquam fluxum, nactus est. Is dum ante 6 annos magno incendio extinguedo, suisque rebus salvandis laborem impendere, repente copiam sanguinis eminxit, hicque mictus abhinc subinde, praesertim prægressis haemorrhoidum cœcarum vestigiis; revertebatur. Cum vero hanc hæmaturiam una,

(a) Aët. nat. cur. Vol. 5. Obs. 107.

una, alterave vice dolores etiam nephritici comitarentur; simulque minores calculi excernerentur; alii ab horum læsione, alii contra a ruptura vasis rubri sub incendii labore hæmaturiam repetebant. Sed cum illa dein fæpissime rediret a levissimâ sanguinis ebullitione, vel iracundia, vel podagrico, nephriticove malo, viresque minueret; consultus auctor expensa re nil nisi anomaliam esse hæmorrhoidalem ratus, Væ Ses æquinoctiales & alias etiam consulebat, apparentibus autem tuberculis ani hirudines admovendas, ut sic nifum sanguinis a vesica ad anum traduceret, non neglectis & aliis pro re nata remediis. Verum nil aliud hinc obtentum; quam quod hæmaturia biennio, quoties rediit, fuerit perquam moderata. Hujus pertæsus æger alterius medici poposcit auxilium; sed ab hujs remediis hæmaturia immodica evasit, vix moderanda, nedum cohibenda. Sanguis in vesica coactus causabat ischuriam subinde ultra 24 vel 48 horas durantem summis semper eum doloribus. Sæpe coagula puri sanguinis urethræ impæcta æger obtusiore stilo frustatim comminuere ad facilitandam eorum expulsionem cogebatur. Frequentiora his etiam fuere concrementa pituitosa ac ferme innumeræ, polypis cordis, ac majorum vasorum simillima, quæ nonnisi cum lotio copiosiori impetuosis excernendo foras propelli poterant. Ex plurimis incassum adhibitis optime profuit equitem, quo & hæmaturia ad tempus cohibebatur, & polyposa illa concrementa

eva-

evanuere. Verum tamen æger sensim superioribus membris contabescebat, pedibus tantum œdemate tumentibus; febricula lenta, profusisque sudores maciem auxere, donec demum exhausto corpore, ac viribus æger vivere desit.

2. *Cystitis* plerumque etiam funesta, a sanguine vesicæ vasa uberioris farciente cum inflammatorio stimulo. Hujus quidem perniçiem effugit GRASSII (a) mercator; non item c. HELWICHII (b) vir prope septuagenarius sanguineo - cholericus, venis amplis, turgidisque præditus, viræ sedentariæ, & crassis cibis a pueritia deditus, qui a multis abhinc semel, iterumque hæmorrhoidum fluxum natu, isto subsistente in podagrum, & ex hac emanente in atrocem aliquot hebdomadarum dysenteriam incidit, ac tandem ante 3 annos sanguinem mejere cœpit, copiosum, purum, & crassum, & sine ullo dolore, vel tensione, vel pondere circa renes, ureteres, vesicam, & sine ullis aut calculi, aut labis in viscere indiciis. Dein per aliquot dies loturam carnium eminxit. Ante 2 annos aliquoties iterum periodis menstruis hæmaturia recursabat. A. 1701 tempore verno id ipsum per plures, quam ante, menses evenerat. Cum renes ulcerosi esse crederentur, data balsamica; at sine levamine.

(a) Vide §. 23.

(b) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 9. Obs. 119.
p. 219.

vamine. Hæmaturia facta profusa, & assidua, ægro plenas matulas emingente sanguinis meri, crassique sine ulla urina, consultus auctor edocuit, illum non a calculo, sed hæmorrhoidibus esse: his proinde jussit admoveari hirudines, maneque bibi calidum decoctum equiseti, & succum urticæ ter de die cum jusculis sumi, ac vesperi præbendum esse. His nitrosi Æj ex decocto voluit. His intra 8 dies cohibita hæmaturia. Verum lapso vix niente, reversæ augustiæ præcordiorum; dolor in pube, ac radice penis, dysuria, tenesmus. Ad nova hæc molimina hæmorrhoidum vesicæ dissipanda imperantur denuo hirudines, & pristina remedia; quæ cum renuisset æger, hæmaturia impetuose erupit. Consulti abhinc alii medici. Phlebotomia pedis fluxum auxit. Ab adstringentibus varie, multumque adhibitis nil opis; sed pes lævus insigni tumore duro, & rubente inflatus est, unusque testum distendi, ac laxius propendere cœpit. Tumido in pede fonticulus excitatus gangræna periculum minabatur, auspicato tamen propulsatum. Demum & acidulas frigidissimas haurire æger cœpit, unde in ischuriā incidit. Revocatus quidem remediis cum sanguinis, cum lotii fluxus; at dolor inflammatorius in collo vesicæ mansit ad omnia remedia contumax cum pulsū febribus inflammatoriis solenni, qui prius ne in pessimo quidem morbi statu febrilis est repertus. Obiit æger eodem anno 25 Decembr. procul dubio e gangræna vesicæ inflammata.

3. *Incrassatio, ulcus vesicæ.* Incrassationis exemplum præbuit PEZOIDI (a) tutor, ulceris autem lethalis I. F. HENCKELII (b) vir 50 annorum, carnosus, sanguineo - cholericus, athleticæ sanitatis, vino venerique usque adeo deditus, ut ad hanc conquisitis undique aphrodisiacis uteretur. Hic ante biennium post enormem crapulam, eique postridie succedentem diarrhœam vehementem correptus est uberrimo hæmorrhoidum fluxu, quem ad vesperam sponte cessantem rursus excepit diarrhœas, atque hanc etiam post biddenum desinentem continuo secuta est colica spasmatica, dolore colum, & mesenterii centrum, regionemque dorsi ei oppositam afflidente, qui sensim in artus, ac musculos inde propagatus ad anxietates quandoque, ac lipothymias usque increscet, simulque coortæ turbulentæ alvi dejectiones, tenesmodes quotidie quidem numerosæ, jam tamen parciores, ac segniores; jam copiosiores, celerioresque. Urina rite procedens successive ponebat sedimentum flavescens, albicans, subitus glutinosum, quod igne probatum nil calculosi exhibuit, nilque doloris causavit. In orthostadia plerumque haetenus æger constitutus & itinera sat molesta subinde conficit, & vino, epulis, venerique per aphrodisiaca,

(a) Vide §. 13.

(b) Act. nat. cur. Vol. 4. Obs. 79.

disiaca, ut ante, vacabat: donec intra annum morbus evasisset gravissimus. Spasmus ille abdominalis, alias tolerabilis, ac transitorius, nunc continuus, & adeo rigidus evasit, ut in pedes, manusque & circa scapulas insuper irruens anxietates non ferendas, & acerbissimos dolores crearit, ac 3 fere septimanas ita affixerit. Hinc anorexia, vigiliae, debilitas, macies, at sine febre. Alvis ante dicto modo varians fecibus, utut plerumque paucioribus, scybalosis, per intervalla tamen nimium lubricis, & oleo quasi inunctis, sedibus plus justo semper numerosioribus. Flatus indomiti jam incacerati, pressorii, ac molestiores; jam borborygmodes ad spasmos, & lipothyrias si non duplum, multum certe facientes. Ex hoc decubitu qua remediis qua tempore eluctatus quidem, sed ita, ut ne priorem quidem tolerabilem illam orthostadiam attigerit, manente nempe materiae malignitate, ac spasmis per intervalla sanguentibus, imo ingravescentibus, ut æger inde morosus evaserit. Ex dorso sentiebat nescio quid versus os sacrum de loco in locum progredi. Spasmi nulli fere parti, excepto capite, pepercere; jam enim brachium imprimis dextrum, jam dextram manum, ejusque præsertim minorem digitum, jam dorsum, jam scapulas, jam crura, & pedes, jam coxam, modo seorsim, modo simultanee lacefabant. Remittente dolore somnus, & appetentia semper redibant, imo hæc sæpe non satianda. Porro nocturnas pollutiones æger 3 vel 4 quovis die

die patiebatur, & interdiu quoque vel tanta
penis glande, enataque inde titillatione se-
men ocyus erumphebat. Multis, variisque
sedulo adhibitis remediis obtineri non potuit,
quo minus afflictio hæc per varias periodos
reverteretur, semper gravior. Solo betulae
fucco ex arbore sponte stillante urinæ ardor
leniebatur nonnihil. Prima notabilior pe-
riodus a cessante subito sub finem Augusti
vomitu definienda videbatur ; quem contra
major in dies alvinarum excretionum nume-
rus, & fecis sensibiliter oleosæ lubricitas
presso pede sequebatur. Sub initium Octobr.
lotii materia glutinosa, cui haetenus ulcerosa
(saltē ita credita) prævalebat, copiosius
fluere cœpit, a glande penis ad matulæ fun-
dum per cubitos se extendens, unicaque
miſtione ſij. iij. facile appendens, incredibili
cum difficultate, & ardore; fluxus hic subinde
unum, vel alterum diem intermittens plerum-
que stata servabat tempora, horas nempe
meridianas, ac vespertinas, atque ubi paulu-
lum remisit, motu quodam in perinæo co-
ctorio vellicante continenter fere vexabat.
Ab hoc vero tempore spasmus abdominis,
alias gravissimus, & affidius, minuebatur, &
alvinæ excretionis frequentia, ac lubricitas
magnopere simul decrevit, manifesto indicio
albas ani hæmorrhoides ad vesicam fuſſe con-
verfas. Verum insequentis anni initio hæmo-
rrhoidales motus denuo ad anum sunt revo-
luti: unde urina tenuis, mucique expers, ac
subinde penitus clara, excepto pauculo pure,
pro-

procedebat, diuque ita pergebat, non sine
læta spe hæmorrhoidum ad regularem typum
reducendarum. At vero inopinato iterum
spasmo mesenterii renato post aliquot dies
hæmorrhoidalis mucus ad vesicam congestus
per urethram egerebatur. Accessit denique
acuta febris, ex qua æger decessit.

4. *Hecticæ* febris perfaçile morbo huic,
præprimis mucoso, supervenire consuevit.
Accessunt eam nimia vel sanguinis, vel muci
jaætura, habitualis morbus assiduo dolore,
vel micturitione somnum & appetentiam tol-
lens, acrimonia muci vesicæ in vasis stagnan-
tis, ac demum vesicæ exulceratio &c. G. C.
DETHARDING (a) refert „se novisse . . . vi-
„rum illustrem . . . hæmorrhoidibus coecis
quondam obnoxium; his vero deficientibus
„spasnum vesicæ cum exclusione muci expertum,
„sub principio per vices insultantem, demum
„habitualē ita redditum, ut continuus ad min-
„gendum stimulus ingenti dolore circa collum
„vesicæ stipatus omnem conseruāinem cum
„amicis interdixerit; hunc celeberrimos Ger-
„maniæ Medicos non sine magnis sumtibus in
„consilium vocando curasse, & quantumvis a
„nonnullis arcana, alijaque non contemnenda
„cum voto, & promissione felicis successus
„obtinuerit remedia; tantum tamen absuisse;
„ut allevamentum cruciatum, nedum per-
„fectam

(a) Diff. cit. §. 7. Schol. p. 788.

„fectam restitutionem senserit, ut potius in
 „dies fere ingravescente malo tandem in fe-
 „brim hecticam inciderit, & improviso, ces-
 „santibus omnibus doloribus, juncto rigore
 „per totum corpus se diffundente, sphaceli
 „tate, extremitum vite spiritum ediderit.“
 Non multum absimilis est, apud I. D. GOH-
 LIUM (a) observatio de viro procero 58 an-
 norum, narium hæmorrhagiis in juventute
 obnoxio, in adultiori autem ætate ordinatis
 Væ Sbus assueto, qui a cathartico quodam
 ordinario ante 12 annos sumto in hyperca-
 tharsin cum vomitibus, tenesmo, & copiosa
 hæmorrhoidum profusione, quæ in singulis
 deinde quotidianis egestionibus alvinis cum
 superveniente ani prolapsu in semestre conti-
 nuavit, lapsus est. Sopito abhinc fluxui hæ-
 morrhoidum superfuit ani prolapsus immedi-
 cabilis, quavis in dejectione accidens. Per
 elapsum jam annum vacillare sanitas ejus vi-
 debatur, & præsertim versus hyemale solsti-
 tium & vires, & appetentia minuebatur, &,
 quæ diu hactenus ob levitatem contemserat,
 nunc ingravescebant, nempe dolores quasi
 colici cum symptomatis rheumatico - febrili-
 bus, & infuctis urinæ phænomenis, quæ jam
 erat naturalis, jam p. n. rubra, aliquanto
 post sedimentum ponens atro - fuscum, leve,
 nec

(a) Aet. med. Berol. dec. 2. vol. 1. Sect. 2.
p. 61.

nec vasi adhærens, quod facto rite examine nec fabulum erat, nec arthritica calx. Comes his urinis erat rheumaticus dolor a femore in totum extensus pedem, somnum turbans; multi fatus, obscurus sub umbilico dolor, anorexia diutina, ruetum amarescentium difficultis anotERICA excretio, febris latica cum æstu interno, sensibilis corporis emaciatio, & hæmorrhagiæ narium symptomatice, a multis jam annis hæc tenus rarissimæ alias. Cumque nulla vel calculi, vel affectæ vesicæ indicia his essent copulata, satis apparebat, ægritudinem ad internas pertinere hæmorrhoides, ac sedimentum lotii ante descriptum nil nisi sanguinem esse hæmorrhoidalem. Ut ut autem congrua medendi methodus nunc adhibita fuerit; morbus nihilominus non abolendus, associata sibi febre heptica, hominem æstate conficit. Magnis quoque passibus ad hepticam, eundemque exitum properabat F. HOFFMANNI (a) vir sanguineo-cholericus 50 annorum, qui a fluxu hæmorrhoidum solito parcus procedente cœpit cum ardore mejere urinam albam cum multis fibris velut abrasæ tunicæ, ac plurimo dein sedimento albo-gelatinoso. Molestia ex levi, ac transitoria fiebat acrior, longiorque cum corporis, & præsertim pedum contabescientia, & languore. Hæc lotii excretio mane vel maxime accidit.

Ce-

(a) Consult. & resp. med. Cent. 2. Casu 93:

K. 2

Ceterum æger sine omni dolore alio optime apperebat, placide item dormiens, at cum p. n. manuum in somno æstu. Interdum fiebat anxius, & ob castimoniam testiculi subinde, sed non diu, vehementer dolebant, ac tumbabant. Consultus Aucto^r suasit ∇ æ Schwalbæcensis, vel spadanæ unam quotidie lagenam sub debito regimine per 4 vel 3 hebdomades forbillandam. Pharmaca duo commendavit: Essent: calcarillæ c. essent. Succini mistam, & succ. ppt. cuius 3j. cum olei $\text{q}\ddot{\text{u}}$ ri p. deliq. 3 β . sit imprægnata, siccataque, ad 3 β . m. & v. sumendum. Vinø ac cerevisiæ suasit suffici decoctum e rad. farsap., scorzon., cichor., liquir., & sem. foenic. Vetuit fortiorem vœtionem equo, & rheda ob succusiones hic nocivas: Quo successu, incertum.

S. XIX.

III. SUPPRESSIO *hæmorrhoidum* *vesicæ*
varia alia, gravissima s^epe, mala accersit, reverso fluxu plerumque iterum definentia; alioquin haud raro morte sola finienda. Præ- primis autem hæc de hæmaturia valent; quandoquidem mucosæ hæmorrhoides vesicæ non ita pronte fese supprimi patiuntur. Istas autem ab hæmaturia cessante natas F. HOFFM.
(a) literis prodidit: nempe vir sanguineus 37
an-

(a) Consult. & resp. med. Cent. 2. Casu 88.

annorum, eusarcis, post male curatam in ju-
ventute gonorrhœam virulentam, anni pro-
xime elapsi initio corripiebatur febre purpu-
racea, quæ a calidissimo regimine ingravesce-
bat, purpura in dies copiosius erumpente:
donec imperato temperatori regimine post
trimestre demum fere tempus æger convalus-
isset; superstite tamen urina ex atro rubente,
sedimentumque ponente simile Ætri ☽ ☽.ii.
Acidulis ergo usus, cum inde proficeret,
urina evadente naturali, eas tota æstate hau-
sit, at immodice, quotidie nempe ad 16imo
20 mensuras. Augusto mense repente gravi
urinæ ardore, & creberrima micturitione pre-
hensus est, accessere atroces ventris, vesicæ,
urethræ, & ani dolores, jam lancinantes,
jam ardentes. Urina missa crassa ponebat se-
dimentum valde mucosum cum interstantibus
filamentis jam tenuioribus, jami crassioribus,
instar abrasæ cuticulæ non sine suspicione ex-
coriationis, vel ulceris vesicæ, aut urethræ.
Potis emulsis refrigerantibus, injectisque ex-
tus demulcentibus laetæis, & mucilaginosis
intra paucos dies omnia symptomata mitiga-
bantur, micturitio inducias 8 horarum dabat,
urina prodibat naturalis, & pauco tantum
moco mixta. At non multo post rediit prius
malum, doloris tamen, & ardoris expers,
ac pauciori jam cum sedimento; sed sub mi-
cturitione prodibat primum puris cochl. j.,
dein tenue lotium cum quibusdam filamentis.
Hæc quoque recidiva remediis cessit, at non
cum constantia; namque malum quavis 8 vel

10 hebdomade abhinc revertebatur; novissime etiam accidente ani tenesmo cum vehementibus torminibus, ac muci albi spissique egestione alvina, queis profligatis maturatio pristina successit, cum insigni mejendi difficultate. Ceterum sæpen numero cœcæ ani hæmorrhoides apparebant, nullatenus ne admotis quidem interdum hirudinibus ad fluxum perducendæ. Calculi signa penitus aberant. Ex hac historia satis liquet, urinam illam ex atro rubram fuisse cruentam, sedimentumque $\text{\textcircled{A}}$ tri $\text{\textcircled{O}}$ $\text{\textcircled{T}}$ ri simile, nil nisi sanguinem in minutissimos grumulos coactum fuisse, qualis in ante dicto GOHLII (a) ægro visebatur: hæmaturiam porro hanc dein abiisse in mucosum fluxum, &c. Non vulgare autem est, quod I. G. KLEIN (b) commemorat: „observavi, „muns (ait) impotentiam virilem plurium an- „norum ex moliminibus hæmorrhoidum ve- „sicæ, antehac suppressarum, revertente hoc „fluxu cum laude depulsam.“ I. STORCHII (c) femina cœlebs prope quinquagenaria, languineo-melancholica, e spinæ dorsi curvitate vitiose incedens, hinc ex stipe quidem, at non misere vivens, desinentibus non pri- dem

(a) Vide §. præced. Nro. 4.

(b) Interpret. clin. tit. impotentia. p. m. 152.

(c) Von Krankh. der Weiber, 8. Band. Casu 27. p. 125. sqq. & Obs. clin. anno. 6. p. 640.

dem catameniis, quæ ultimo anno uberrime fluxerant, naæta est copiosam leucorrhœam fere assiduam, a qua excoriante subinde vix ambulare quivit, cum non esset syphilitica, datum:

R. Essent. lign. Sassafras,

— millefol.

— rosmarini ȝȝ ȝjȝ.

Ræ ȝ ii ȝjȝ. M.

S. m. & a meridie gtt. ȝo; vesperi autem ȝis ossum sepiæ cuspidem cultri. Ab his leucorrhœa brevi defuit. Novembri anni in sequentis ex lapsu per scalas lapideas contudit faciem, pectusque, unde sanguinem sputavit. Imperatus infusi arnicæ matutinus potus, a meridie vero, ac vesperi ȝis sequentis dosis

R. ȝ corall. rubr. ȝj.

ȝ puriss. ȝjȝ. M. div. in jv doses.

Anno sequenti sub initium febris hæmorrhoides abundantissimæ fluxere, lisque definentibus superfuere ventris dolores, quos intra aliquot tempus usus TRæ rhei cum TRæ ȝtri mitigavit. Initio Junii obortis denuo ventris, spinæque dorsi doloribus data dosis pil. purgant. BECH. aliquoties quidem alvum solvit; sed oborta alvi obstructione cum tenesmo; datum 4 Junii:

R. Sal. Sedl. 3ij.

$\ddot{\sigma}$. antispasm. 3j. M. div. in doses 6.

S. m. & v. unam ex aqua. Julii 5a obortis
torminibus, ac vomitu præscriptum:

R. TRæ rhei, & \square ri. (*)

Postridie vero datus $\ddot{\sigma}$ antispasm., & rhei $\ddot{\sigma}$
3j. cum levamine. Die 27a in allatæ urinæ
fundo multus sanguis subsidit, vexantibus ni-
hilominus adhuc doloribus dorsi, & circa ve-
sicam: idcirco rursus præscriptum:

R. $\ddot{\sigma}$ antispasm. 3ij.

Corall. r. 3ij. M. div. in 8 doses.

Augusti 23a hæmaturia adhuc pergebat; sed
cum hanc pro fluxu hæmorrhoidum ex ano
magis ferret, nil nisi $\ddot{\sigma}$ es ex O., & $\ddot{\sigma}$ dati,
veritis quibusvis stipticis. Verum hæmaturia
17. Septembr. nondum cessante dati $\ddot{\sigma}$ es:

R. O puriss. 3ij.

Corall. rubr. 3ij. M. pro dosibus II.

Octobris 26a, cum per aliquot dies clara
urina procedente, vomitus obortus fuerit;
sisten-

(*) Hic in MSpto deest quantitatis pharmaci de-
signatio.

sistendus erat TRæ rhei. Novembr. 10. rediit hæmaturia, cum micturitione tenesmode: idcirco datæ pil. BECH. purgantes. A. 1732 Septembr. 7a pro mictu cruento, cuius jam ægra ultra annum expers fuit, hæmatemesis ingruit, sed mox desit ad usum TRæ rhei cum arcano FRI. Die 13a querebatur adhuc subinde de ardore, & doloribus in ventre, queis opposita MRA refrigerans, & in prophylaxin die 25a essent. millefolii, & summittatum ejus infusum quavis hebdomade bis hau riendum. Vixit adhuc 1742. At funestiora his videamus. I. D. GOHLIT (a) medicus melancholico - cholericus, ex motu externarum hæmorrhoidum, quarum tuberculis hirudines aliquoties admovit cum levamine, calculosus, ac deinceps hæmaturia aliquam diu cum impediro hinc lotii fluxu laborans, demum post insuetum vini Hungarici potum in lassitudinem incidit, cum pressorio frontis dolore; tum balbutiens, & frigoris sensu percussus apoplexia correptus est, in hemiplegiam lateris lævi abeunte, sub qua in lotio sanguis, qui ei hacenus constanter inerat, nullus amplius conspectus. Die 7mo supervenit singultus continuus, quem die 9no, ætatis anno 56, mors abruptit. Porro G. E.

STAM-

(a) L. c. dec. 2. Vol. 1. Sect. I. p. 29. Vol. 7. Sect. I. p. 22.

STAHLII. apud E. HOFFMANNUM (a) „vir 62
 „annorum gonagrico pathemate in sinistro
 „genu ab aliquot retro annis per vices infes-
 „status, diætæ per plures annos vinosæ, ha-
 „bitus corporis sanguinei leviter phlegmatici
 „ex usu largiore vini Thuringici, & insuper
 „facto in rheda itinere tempore autumnali
 „corripitur ischuria cum dolore sinistri lumbi,
 „& coxae ad os sacrum gravativo, mingit ma-
 „gnam copiam sanguinis partim floridi, par-
 „tim coagulati in magnos grumos. Post pau-
 „cas septimanas fluit nonnihil ex hæmorrhoi-
 „dibus, sed caret sufficiente successu moli-
 „men; levatur ramen sensibiliter a gravativo
 „dolore, & lassitudine tensiva in artibus.
 „Post annum recrudescit malum in renibus;
 „occupatur adstringentibus: accedit febris
 „acuta, fit translatio inflammatoria ad fauces,
 „nascitur gangrænodes corruptio linguae, &
 „faucium. Moritur.“ Denique E. HOFFMAN-
 „NII. (b) „Vir 40ta annorum, sanguineo-
 „cholericus ex vitæ genere valde inquieto
 „transiens ad quietum, & sedentarium expe-
 „ritur brevi post hæmorrhoidalem fluxum,
 „quem præpostere remediis adhibitis supprimi
 „curavit. Secuta hinc mihi cruenta singulis
 „fere

(a) Diff. de salubritate flux. hæmorrhoidalis §.
 9. Opp. 2. P. 2. p. 114.

(b) Med. rat. Syft. T. 4. P. 1. S. 2. C. 9.
 obs. 2.

„fere mensibus rediens; qua effante anxietates præcordiorum, dolores lumborum,
 „borborygni ventris, prava digestio, & in-
 „appetentia oborta. Ad tollenda hæc mala
 „variis usus quidem remediis, thermis, la-
 „etis cura; sed non cum debito regimine.
 „Accessit hinc postea funesta vesicæ inflammatio, cognoscenda satis ex magno ardore,
 „dolore in regione pubis, mihi difficiili, &
 „dolorifico, febre, præcordiorum anxiate,
 & delirio, ac post mortem vesica inflammata,
 „& sphacelata inventa fuit.“

§. XX.

IV. SOLVUNTUR hæmorrhoides vesicæ
 fluxu hæmorrhoidalí ex ano, quæmadmodum
 in pastore REINESII (a) & ROLFINKII (b)
 ægro, ut ut huic demum fatalis evaserit. Fuit
 nempe vir hæmorrhoidum fluxui assuetus, quo
 suppresso incidit in multarum hebdomadum
 hæmaturiam. Hæc autem evanescerat vel ap-
 parentibus hæmorrhoidibus levi, parcoque
 fluxu, ut vix anus inde tingeretur. Lapsus
 anni in vado se esse ratus, mane corripitur
 ingenti cephalalgia; a meridie epilepsia cum
 aphonía ingruit, cui depulsæ superfuit mens
 turbata: rediit quidem ad se; sed recidivam

fæ-

(a) Vide §. 27.

(b) Differat, anat. L. 5. C. 20.

sæpius passus, tandem immodico hæmorrhoidum fluxu exhaustus placide obierat.

§. XXI.

V. RECIDI^{VAE} huic morbo sunt perquam familiares, quas præsertim experti sunt senator BECKERI (a), mercator GRASII (b), & mendica STORCHII (c). Ubi enim vasa vesicæ semel a congeto sanguine in majorem solito capacitatem fuere diducta; non ita facile deinceps ad pristinam reduci possunt aritudinem; quod ab affluente assiduo in vesicam calida urina, ibique commorante laxitas illa vasorum foveatur, ut a superveniente nova causa, sanguinem überius illuc compellente, illum facile & admittant, & transmittant.

HISTO-

(a) Vide §. 17.

(b) Vide §. 23.

(c) Vide §. 19.

HISTORIAE
HÆMORRHOIDUM
VESICÆ.

PARS II.

THERAPEUTICA

CAPUT I.

SUMMA MEDENDI CAPITA.

s. XXII.

I. INDICANS est hæmorrhœis vesicæ.

II. INDICATIO est eam tollendi sine noxa.

Hinc

A. Causa submovenda.

B. Infarctus p. n. vasorum vesicæ auf-
tendus.

i) Con-

CAPUT

1. Contractili vi illorum aucta; idque

a) Plenitudinem eorundem minuendo, ac

b) Robur deinde iis conciliando.

2. Distendente vi liquidi imminuta, i. c.
ejus

a) Lentore subacto,

b) Copia imminuta

c) Motu averso aliquum (præfertim vero
ad anum, si nempe prius hæmorrhoides ani
diutius fluxere; secus imprudenter morbo uni
alter substitueretur.)

C. Symptomata urgentia (v. g. dolor,
miaturatio, &c.) mitiganda.

D. Effectus futuri arcendi; præsentes
tollendi.

E. Recidiva prævertenda.

1. Proegumena causa sublata, tonoque
reddito,

2. Procatacticis causis vitatis.

CAPUT

CAPUT II.

CHIRURGIA.

§. XXIII.

I. SANGUINIS missio vasa vesicæ deplens, sanguinem ab iis revellens, simulque (si opus) ad vasa ani derivans. Verum non proletario in ea administranda judicio uti oportet, e brachiis, an pedis, vel ani vasis instituenda sit? consultus pro viro albis vesicæ hæmorrhoidibus laborante F. HOFFM. (a) „suisit „ut protinus ex vena in brachio tusa 6 vel 8 „cruoris unciae detrahantur, & abhinc sectio „hæc pro plethoræ ratione 3 vel 4 quot annis iteretur.“ Sed num non ad superiora regurgitabit sanguis hæmorrhoidalis (b)? Istud enim vero utat in hæmorrhoidibus ani metuatur plerumque, hic autem aliquatenus etiam optatur; sola enim regurgitatio malo huic abolendo par est, nisi forte fluxus hæmorrhoidum ex ano procurabilis tutiora promittat: quapropter DETHARDING (c) ita hunc

vena-

(a) Consult. & resp. med. Cent. 2^a Caf. 88.

(b) Vide Tom. I. §. 54. No. 8. d). Tom. II. §. 108. c).

(c) Diff. cit. schol. ad §. 8. p. 789.

venarum selectum dirimit: „si quando nun-
 quam veræ hæmorrhoides apparuerint, sed
 „in solis saltē substiterint motibus eo ten-
 „dentibus, vel hæmorrhoidibus cœcis fuerit
 „infestatus æger; juvabit venam in brachio
 „tundendam curare, habito saltē respectu
 „virium, & constitutionis individualis ...
 „Sin autem veræ hæmorrhoides cum successu
 „olim configerint; vena pedis eligenda, at-
 „que eo allaborandum, ut illæ refuscentur;
 „modo ætas, & vires ægroti, aliæque causæ
 „procatasticæ haud obstiterint.“ Postmodo
 vero eadem alterutra Væ So vel non cedente
 morbo, vel ad recidivas præcavendas ex certis
 intervallis iteranda est, præsertim si æger
 jam prius missione sanguinis assuevit. Quam
 utilis fit Væ So in pede, docet G. C. MA-
 TERNI (a): puer sanguineo-cholericus annum
 13 ingressus, ab anno 8 ad 10 mi finem cre-
 bras narium hæmorrhagias non sine, pallore,
 ac macie inde secutis expertus, postquam hæc
 in sequenti biennio non rediissent, primo
 anni tertii sesqui mense, quo 12um ætatis
 annum absolvit, continuum, copiosumque
 ptyalismum spontaneum percessus est multo
 cum levamine, quo sponte iterum cessante
 puer ultimis februarii diebus serenis, siccis-
 que cum patre curru peregre vectus, ubi 3
 millaria emensus est, corripitur palpitatione
 cor-

(a) Aet. med. Vol. 10. Obs. 6.

cordis cum æstu, & prægravante latitudine:
 Confecto itinere nares parum sanguinis fudere
 sine levamine. Mox ingruit rigor genuum,
 ac musculorum tibiæ cum dolore, ut hæ nec
 flecti, nec commode extendi potuerint. Post
 4 dies mane ante abitum nova iterum, at
 parciot, narium hæmorrhagia oborta: unde
 spasticus ille rigor, qui jam paulisper remis-
 erat, pristinam ad vehementiam rediit, obor-
 tis simul copiosis circa tarsum, ac malleolos
 scorbuticis maculis utroque in pede. Hume-
 rus lævus arthritico spasmo affectus intumuit.
 Accessere dolores dorsi lacerantes, tormina,
 alvi obstructio cum suffusione oris velut a
 vermisbus. Lævo in latere circa spurias costas
 acutus dolor cum dispnea, & molesta nimis
 excretione. In artibus summa motus impo-
 tentia ad corpus erigendum, ac movendum,
 artusque fleetendos, aut tenendos. Tandem
 post biduum sub celeri, plenoque pulsu larga
 sequuta diaphoresis, & enema emolliens alvum
 solvit. Sic puer a patre domum reuectus
 ubi iisdem adhuc malis aliquamdiu laborasset;
 Martii 10ma, 11ma, & 12ma apparuit hæmaturia
 dolorifica, & convulsiva; sub miectu enim puer
 oculos mire huc illuc torsit, ac brachia varie
 quatiendo, inconditeque vociferando lumba-
 ri de dolore querebatur. Dextrum quoque
 latus cum humero conspicue tumebat. Mor-
 bum ab aliis ob gravitatem pro magico licet
 habitum unica pedis phlebotomia post 10
 dies, interpositis eccoproticis ex toto profici-
 TRNKA Hist. Hæm. Vol. III. L gavit.

gavit. Aliquando autem phlebotomia pedis nil opitulatur, præsentissimaque est phlebotomiæ in brachio necessitas, quæ e vestigio prodesse solet. Sic s. GRASSII (a) mercator 40 annis major, sanguineo-cholericus, laboriosus, liberioris semper diætæ, & inebrigiaminiū amans, circiter ad zœum usque ætatis annum narium hæmorrhagiis, interdum valde profusis, obnoxius, hisce postmodo non reversis, erysipelas faciei subinde perpetiebatur. Ad hoc abarcendum Væ Snem pertinaciter abnuens scarificationes nimis crebras instituit; at incassum, quod vino semper uberioris indulgeret. Post pleuritidem anno 36mo supereratam anno insequenti erysipelas circa nasum potissimum, ac cephalalgia recursabant, dolorque tensivus, ac pressorius in lumbis molestus erat, quem demum modicus hæmorrhoidum fluxus obortus aliquatenus lenivit. Cum autem neque Væ Se in pede, neque catharticis, neque aliis idoneis præsidiis sibi unquam prospicere vellet; sed potius continuis diætæ erroribus, animi motibus, incauta corporis a potu æstuantis perfrigeratione, &c. excederet; demum aliquot supra 40 annos natus, & capitis, artuumque afflicitus doloribus, vertiginosa scotomia apoplexiā minante, phlebotomiam expetiit, ac deinceps bis quotannis celebravit, internaque usurpavit remedia,
quo-

(a) Ibid. Vol. 2. Obs. 64.

quorum unum Egranæ erant acidulæ domi potæ. Abhinc hæmorrhoides aliquoties fluxere, ad statas forte etiam periodos pervenit; nisi æger diætam, & remedia justo citius deseruisset. Post initium anni 1723 hyeme ventis, nivibusque horrida iter aliquot dierum init, plaustro admodum succussante. Frigus spiritu frumenti crebrius poto oppugnat, & confecto itinere vinum generosum Hungaricum ad crâpulam usque haust; at domum redux cephalalgiam, artuum dolores, ac tuis- sim siccam ædeptus est: regimini tamen dia- pnoico leni omnia hæc cessere, superstite tan- tum pertinaci dolore tensivo a medio scapularum protenso deorsum, qui explosis post frictiones pannis calidis factas e stomacho ructibus aliquatenus levabatur. Magis etiam affligebat colica, alvi obstrucio, & fixus circa os sacrum dolor, in quovis corporis situ molestus, nec fotu, nec emplastro sa- pon. camphorato minuendus; donec hæmorrhoidum tridui fluxus inducias procurasset. Aeger nil præsidiorum admisit, præter nitro- fa, & emulsiva. Tandem lapsis ita aliquot hebdomadis medio Martio valde dolorifica dysuria accepit, ingenti nisu, ac pressione continuo vexans, qua crebriori micturitione raro ultra ſſ lotii crassi farinaceo cum sedimen- to reddebat. Dolor tendebat a perinæo ad glandem usque cum penis rigore, ita ut dolorifico mingendi nisu semper comes effet tenesimus, & ardor ani. Circa vesperam fe- briles motus ingruebant cum nausea, levi

L 2 cepha-

cephalgia, & agrypnia. Dabatur ergo **F**es ex
 lap. 69 cum succo citri. cinna. nat., **G**io di-
 aph., **P**lato, & nitro; Liq. **R**i **C**satus,
 essent. alexiph., & succini mistæ; emulsa e
 sem. 4 frig. majoribus, cum sem. milii solis,
 genistæ, violar. purpur., decoctum emolliens
FORESTI cum aqua laxat. Viennensi: molli-
 um enematum usum exquisitus hæmorrhoidum
 tumentum dolor rarius admisit; Væ Si tamen
 æger tamdiu obstitit, donec lotium cruentum
 prodire conspexit: larga ergo in pede facta;
 sed nullo levamine, imo hæmaturia ita inva-
 lescente, ut die 8, ac 9 quotidie ultra $\frac{1}{2}$ men-
 suram sanguinis lotio mixti prodierit. Quo-
 ties ad matulam cogebatur, sensum prius per-
 cipiebat laticis calidi cum dolore, tenesmo
 ab ano per perinæum, collumque vesicæ, &
 urethram usque ad glandem excurrentis.
 Nullus tamen ad renes dolor, & ad scapulas,
 ac os sacrum jam mitior evasit. Remedia fere
 priora mansere; nisi quod additum decoctum
 ex rad. glycyrrh., asparag., herbis millefol.,
 equiseti, virgæ aur., flor. ros. rubr., bellidis
 rubræ, & santalo rubro, nec non pilulæ ex
 extr. balsamicis tonice adstringentibus: exte-
 rijs sacculi paregorici in lacte cocti, loco
 affecto admoti; subinde vero dolore furente
 magis **V**a Sclopetaria, & **V** camphoratus
 adhibitus. His parum juvantibus iomo die
 post sectam in pede venam in brachio Væ So-
 facta, dato insuper **za** quaque hora **F**e tem-
 per. leniter camphorato, eo cum successu, ut
 altero mox die urina & purior, & facilius
 pro-

prodierit, & post paucos dies hæmorrhoides ex ano leviter fluxerint, morbumque fere penitus abegeriat; nisi quod subinde urinæ adhuc crassæ, & cum sedimento farinaceo, cumque aliqua molestia fuerent: sed & hæc ver adveniens sustulit. Abhinc Væ Ses quo-vis æquinoctio factæ, & hæmorrhoides promptius fluxere, non modo trimestri spatio, statis fere periodis; sed etiam intermedio tempore a potu largiori. Postquam vero ultra annum varias calamitates, & ærumnas perpassus est; circa æstivum solstitium 1725 fluxus hæmorrhoidum iterum substigit, eique pedetentim successere laßitudo, anorexia, anxietates, colicæ, agrypnia, & appetente brumali solstitio dolor ad os sacrum, molestia alvi dejectio, frequensque micturitio, ac paulo post exquisitam dysuriā anno vertente hæmaturia. Ocyus ergo, ob signa manifesta turgescientia vasorum hæmorrhoidalium, admotæ ano hirudines modicum sanguinis crassi, & glutinis instar viscidi elicuerunt; at sine levamine: symptomata pergebant, & quotidie post gam vespertinam febriles motus oborti usque adeo ingravescebant, ut post leve frigus intensus æstus deliria sæpe attulerit, maximamque noctis partem turbarit. Cephalalgia extra accessiones etiam gravis erat, hæmorrhagia narium subinde lenienda. Ad pristina ergo medicamenta redditum, præsertim ad potionē diluentes, temperantes, emulsivas, nitratasque; Væ Se in brachio facta cephalalgia, febris, &c. fere penitus desiere,

ac

ac hæmaturia admodum imminuta. Verum
nil boni præfigebant sanguis eductus visci-
dus, feculentus, lividisque maculis notatus,
pulsus celer, ac durus vel in ipsa euphoria,
& extenuatio corporis. Et vero post 8 die-
rum inducias omnia rursus symptomata re-
diere; sub assidua fere micturitione urina non
jam cruenta; sed intense rubra inter summos
cruciatus guttatum prodibat, sedimentum po-
nens crassum, pituitosum. Febre in dies
autem supervenit inflammatio vesicæ, die 6
Febr. 1726 anno ætatis 55 letalis. Quantum
vero ad hirudines attinet: F. HOFFMANNUS
(a) iis omnino hic diffidit „sanguisugæ...
„fugiantur (inquiens); quoniam majorem hu-
„morum ad affecta loca affluxum concitant.“
Alii vero ad sanguinem a vasis vesicæ ad hæ-
morrhoidalia ani deirivandum, si jam ante
diutius illac hæmorrhoides fluere consueve-
rant; nil hirudinibus efficacius arbitrantur,
ac proinde præter pedis phlebotomiam has
quoque ano admoveri jubent: „quæ operatio,
„inquit DETHARDING (b), repeti poterit,
„quando abhinc imminutus mucositatis fluxus,
„& symptomatum observatur mitigatio. Præ-
„sentaneam efficaciam subductione hac sanguï.
„nis particulari, prævia Væ Se in brachio,
„se aliquando vidisse retulit ... in ægroto a
„sup-

(a) Consult.. & resp. med. Cent. 2, Casu 88.

(b) L. c. p. 789.

„suppressis hæmorrhoidibus cæcis, mucosis
 „vesicæ correpto, utpote qui ab iterata post
 „mensis spatium hirudinum admotione junctis
 remedii internis perfecte convalescit.“ Confirmantur hæc etiam ab experientia I. L.
 SCHMUCKERI (a).

§. XXIV.

2. ENEMATA quoque sua hic utilitate
 multiplici non carent; namque alvum obstru-
 ðam reserant, vasa intestini recti ad suscipi-
 endum a vasis vesicæ sanguinem relaxant, &
 ad hæmorrhoidalem fluxum revocandum ap-
 tant, dolores denique, spasmodumque vesicæ
 mitigant, & lotii excretionem facilitant. Non
 abs re autem illa Væ Soi præmitti vult DE-
 THARDING (b).

§. XXV.

3. TOPICA porro vel maxime pubi ap-
 plicari hocce in morbo solent, eaque pro va-
 rio illius statu perinde varia, videlicet: emol-
 lientia, & anodyna in vesicæ spasmo, dolo-
 re, ischuria, dysuria, &c. Roborantia vero,
 &c.

(a) Vide Tom. III. §. 115. Nro. 3.

(b) L. c.

& adstringentia in fine morbi ad tonum va-
sis relaxatis restaurandum, quo scopo ZELIG-
MANN (a) haud immerito commendat fo-
menta frigida, vel si spasmus vesicæ, ac te-
nesmus adfuerit; ex fermento panis acidi,
vino rubro, & aromatibus parata. Huc per-
tinet ingeniosa I. QUARIN (b) hæmorrhoides
vesicæ ad ani vasa revocandi ratio: „mona-
„chus . . . sæpe hæmorrhoidum fluxu absque
„incommodo laborans, cum æstuante syrio
„iter institueret, vinumque largius biberet;
„repente mihi cruento afficiebatur, qui &
„infessibus auctus, & variis pharmacis datis
„exasperatus est. Demum æger meam opem
„imploravit. Huic præcepi, ut sellæ pertu-
„sæ, quæ ligneo operculo concavo recta erat,
„ita insideret, ut vapor aquæ calidæ supposi-
„tus per foramen tenue in operculo ligneo
„apertum, anoque respondens eo tantum per-
„duceretur. Una jussi lintea aquæ glaciali
„immersa regioni pubis applicari. Quo facto
„cum post biduum mihi sanguinis fileret, &
„vasa hæmorrhoidalia intumeferent; his lan-
„gœola apertis integra sanitas rediit.“

§. XXVI.

(a) Diss. cit. 1. c. §. 12. p. 27.

(b) Animadvers. pract. in divers. mœrb. Cap.
13. p. 268. sq.

§. XXVI.

4. CATHETER denique interdum in hæmorrhoidibus vesicæ supereft adhibendus, cuius applicationem exigunt ut plurimum.

a) *Ischuria* a grumis, polypisve orificio vesicæ impactis (quos catheter retrudit, dividit) velut in GABECHOVERI (a) ægro; aut vasis tumidissimis in vesicæ collo, aut varicibus ibidem turgentibus (quas catheter rumpit) enata. Sic I. VAN DER HAAR (b) „aliquando mihi (ait) memorabilis accidit casus, ut dum viro cuidam ex ischuria ægro lotium cathetere educere vellem, sanguis ex isto tanto cum impetu effluxerit, ut coactus fuerim illum rursus educere prius, quam in vesicam penetrarit; mox post hanc hæmorrhagiam sponte superflua lotii vis erupit. Hinc suspicor non abs re, hæmorrhoidalem varicem vesicæ in collo cathetere fuisse perruptam; quod etiam post parciores hæmorrhagias, quæ subinde in ischuriis post irritas catheteris applicationes sequentur, res hæc pene æque feliciter evenierit, saepius ipse vidi.“

b) In-

(a) Vide §. 18. B. Nro. 1.

(b) L. c.; p. 53. sq.

b) *Injectiones faciendæ in vesicam*, dum aut grumosus sanguis, mucusve lentior diluendus, & attenuandus est, quas P. G. WERLHOFIUS (a) tum utiles esse agnoscit; aut spasmus, doloresque vesicæ demulcentibus, & anodynis leniendi, aut amissus vasorum tonus reparandus, quam in rem optime aqua frigida sola adhibetur (b).

C A P U T III.

P H A R M A C A.

§. XXVII.

CA THARTICA eccoprotica in utrisque vesicæ hæmorrhoidibus duplēcē habent utilitatem; primum enim alvum ut plurimum obstruant referant, apertamque tenent, tum etiam humores a vesica revellunt, atque ad intestini recti vasa invitant. Quemadmodum vero in toto hæmorrhoidalī morbo; ita vel maxime in vesicæ hæmorrhoidibus cavenda sunt cathartica acriora, ne vesicæ spasmus augeant. Quid quod hic vel Θ sedicensis, aut

(a) Apud C. C. ENGEL. l. c. p. 129.

(b) SELIGMANN. l. c.

aut Anglicanus quandoque obfuerit teste DETHARDING (a)? Proinde manua, rheum, tamarindi, senna hic optima sunt, queis tamen utilissime saepe aloe jungitur ad sanguinem versus anum alliciendum: „imprimis multiplici experientia, inquit DETHARDING (b), pilulae sic dictae balsamicæ ex extractis amaris, & aloe gummosa paratae ita se commendarunt, ut in quibuscumque fere anomaliis hæmorrhoidalibus non sine fructu adhiberi soleant; non tantum enim gaudent virtute alvum movendi; verum & tonum roborant, & vasis, fibrisque relaxatis robur debitum conciliant. Sicubi pilulae non arriserint; haec solvi possunt liquore Væ fol. Fri, coque ipso virtus aperitiva magis acuabitur.“ Confirmat hæc historia REINESII (c): Pastor quidam ob hæmorrhoidum a triennio suppressionem magnam sanguinis crassi meri, sine urinarum aquis, cum impetu promanantis quantitatatem (matulam enim implevit) minxit; qui tamen per totam vitam suam nihil sanguinis vel e venis, vel ex habitu amiserat; atque eundem paroxysmum ter stato circuitu fuerat expertus: copiam sanguinis uno tantum mihiionis actu secedentis proxime secutus.

(a) L. c. Schol. ad §. 10. Nro. 2. p. 793.

(b) Ibidem Schol. ad §. 8. p. 789.

(c) Epist. 44.

tæ fuerunt urinæ naturales, & limpidae. Postquam autem medici consilio vino usus fuerat solito largius, & diebus aliquot continuis pilulis ex aloë, succo cichorii imprægnata, & extr. troch. alhandal. sumserat; hæmorrhoides ei fluxerunt.

S. XXVIII.

2. SOLVENTIA mitia, de quibus alibi
 (a) satis actum, perinde hic ex usu sunt,
 præsertim ▽a Selterana cum lacte; aliis mi-
 nus hic fidendum, ne diuretico suo stimulo
 spasnum vesicæ exasperent. WERLHOF (b)
 consultus pro sene hæmaturiam hæmorrhoidal-
 lem paciente inter cetera, quæ hic usu pro-
 bata proprio noverat „aquarum Selteranarum
 „(inquit) quovis mane mensuram unam; po-
 „meridie vero, & vesperi ḡem balsamicum
 „ex lacte ♀ris, qui alvum servat apertam,
 „per dies 14 vel pro euphoria dari suaferim
 „. . . Ad alvum, ubi opus videbitur, ape-
 „riendam idem . . . lac ♀ris egregium, &
 „in hæmorrhoidariorum morbis singulare est,
 „urinam etiam promovens magis, quam mi-
 „nuens, quod alia alvum cientia sæpe faci-
 „unt. Dari potest sub noctem ad 3ß. vel j.
 „ex

(a) Vide Tom. II. §. 66. sqq.

(b) L. c. p. 128.

„ex emulsione seminis melonum, vel simili.
„Et ita quoque ad levandam dysuriam con-
„fert.“

S. XXIX.

3. ANTISPASMODICA, *anodyna* ad spa-
smum, doloresque vesicæ sopiendos sint licet
quam maxime necessaria; tamen summo cum
delectu, & cautione sunt exhibenda: caven-
da nempe et stimulantiora, & vel maxime
opium, quod non sine summa atrocium dol-
lorum, vires ægri frangentium, & aliis re-
mediis non leniendorum mitigandi necessitate
est exhibendum, nec sine interpolatis ecco-
proticis, nec diutius etiam, quam sævior do-
lor urserit, porrigendum; secus sopiti dolo-
res dein atrocios recrudescent, imo a pro-
tracto ejus usu, ut recte DETHAADING (*a*)
monet, alvi segnities, ischuria, coma, pa-
ralyses &c. sunt metuenda. Nihilo tamen mi-
nus, P. G. WREHOF (*b*) pro BECKERI (*b*)
ægro consultus ad spasmos, ac dolores miti-
gandos „tuo (respondet BECKERO) judicio
„permitto, an non ex re fore videatur con-
„tinuatus 3a, 4a, 6a, 8a, 12a, quavis pro-

ſire

(*a*) L. c. Schol. ad §. 10. No. 3. p. 794.

(*b*) L. c. p. 134. sq.

(*b*) Vide §. 17.

„re nata hora usus medicinæ . . . ad guttas
„pro dosi 20:

¶. Liqu. anod. min. HOFFM. ʒ. β.
Effent. anod. ʒj. M.

„Continuādām suaferim non solum , donec
„aliquid persentiatur lenimen ; sed ad pleni-
„orem usque dolorum , stimuli molesti , fla-
„tulentiaeque cessationem: & tunc quidem ra-
„riores sensim doses dari possent , multipli-
„cando denuo , si symptomata rursum urgere
„videntur. Novi senem jam octuagenarium ,
„qui ex calculo vesicæ similia omnia patitur ,
„vel potius passus antehac est , donec eo-
„dem remedio familiariter uti ante hoc sexen-
„nium cœpit , idem , quoties dolores ingru-
„unt , fausto cum successu repetens. Si al-
„vus sub ejusdem usū tardior justo sit , vel
„omisso per diem unum opio sponte solve-
„tur , vel laeti sulphuris , aut blando enemati
„facile cedet.“

§. XXX.

4. TONICA denique , ubi copia liquidi
vasa vesicæ distendentis imminuta , & alior-
sum aversa est , usurpanda veniunt , ut vasa
laxiora redditâ pristinum recuperent robur ,
ac recidiva prævertatur. Præcipua hic sunt :

23

a) *Mars*, vel quod DETHARDING (a)
præfert, pilulæ balsamicæ cum limatura ♂
conjunctæ, iis præsertim salubres, qui alvo
segni aut obstructa laborant.

b) *Millefolium*, quod in spasmis hæ-
morrhoidalibus, & hæmorragiis compescen-
dis virtute sua dupli, nimirum antispasmo-
dica, ac tonica simul (b) est celeberrimum.

c) *Peruvianus cortex*, cuius TRam cum
TRA succi catechu mistam SELIGMANN (c)
magni hic facit. WERLHOF (d) autem vel
maxime commendat extractum corticis in Ω
Θ dulci solutum: haustæ nempe in 14 dies
▽æ Selteranæ subjungi jubet „postea reme-
„dium blande diureticum, & tonicum, solu-
„tionem extracti Cort. Peruv. in spiritu salis
„dulci factam per oētiduum, & facta deinde
„unius hebdomadis interēapedine per alterum
„oētiduum, & rursus semper alternis hebdo-
„madibus ad 3am, & 4am usque vicem. Qua-
„ter quotidie ejus medicamenti 60 guttas de-
„derim (ait), hora ante jentaculum, & ante
„prandium, bihorio post hæc, & ante no-
„,ctem,

(a) L. c. Schol. ad §. 8. p. 791.

(b) Vide Tom. II. §. 84.

(c) L. c. §. 12. p. 26.

(d) L. c. p. 128. sq.

„Item, vitro probe prius agitato. Hac me-
„dicina curatus haud pridem est verbi divini
„minister septuagenario major, ex eodem plane
„affectu his 6 mensibus bene valens, ab mi-
„etu cruento, & dysuria immunis.

d) *Uva urſi* in roborandis urophori sy-
stematis fibris remedium celebratæ efficaciam
mereretur, ut in mucosis præcipue hæmo-
rrhoïdibus vesicæ periculum illius medici fa-
ciant.

CAPUT IV.

D I A E T A.

§. XXXI.

1. **A**LIMENTA sunto medicamentis secundum
indolem analoga; hinc non dyspepta, nec
acria, diuretica, flatulenta, fibras laxantia
nimis, nec sanguinem accendentia; sed blan-
da, eupepta, aperientia, alvumque apertam
fervantia.

§. XXXII.

2. **AFFECTUS** *animi* vehementes recidi-
vam celerrime causant, præfertim ira, terror,
mœror,

mœror, notante DETHARDINGIO (a). Ira enim sanguinis motum accelerat, illumque rarefacit, vasa distendit: hinc facilis hæmaturia, vel mucosi infarctus. Terror autem spasmos creat, resuscitat sopitos. Mœror deinde lentorem sanguini inducit.

§. XXXIII.

3. AER porro siccus esto, non humidus, iste namque solida relaxat, & perspirationem imminuit: unde materia perspirabilis renes petens, indeque vesicam, morbum semper soveret. Contrarium autem facit aer siccus, præsertim calidus insuper.

§. XXXIV.

4. MOTUS corporis moderatus, & æquabilis faciendus ad prima usque sudoris indicia; cavendus vero omnis succusorius pelvoes, ac natum: hinc vitanda equitatio, vœctio rheda per vias lapidosas, foveisque inæquaes, quod HOFFMANNUS (b) ægro cui-dam diffusasit.

§.

(a) L. c. Schol. ad §. 10. p. 79^{ta}

(b) Vide §. 18. B. Nro. 4.

§. XXXV.

5. VENUS denique hic nocentissima cane
pejus, & angue vitanda monente DETHAR-
DINGIO (*a*) ; præterquam enim quod succus-
forium plerumque corporis motum supponat ;
humores simul ad vasa organorum in pelvi
locatorum , proinde vesicæ etiam copiose ,
impetuoseque allicit : hinc recidiva facillima .

(*a*) L. e.

ERRATA.

pag.	lin.	Errores	lege
3	24	Fleuts	Fleurs
33	2	consequitur ,	consequitur
—	17	SILVATHO	SILVATICO
57	19	conf.	conf.
66	16	dissuria	dysuria
78	14	qua	quam in
81	16	DIURETICA	DIURETICA,
83	12	♂lum	♂lem
89	21	innumeris ,	innumeris ;
93	14	aperiens album	aperiens , alvum
102	10	unde sexaginta	un-de sexaginta
111	1	pratum	pretium
120	23	Væ Se	Væ So
130	28	lychontriptica	lithontriptica
131	21	⊕lis	⊕li.
135	23	bimeftri	bimestre
140	14	abhinc	ab hinc annis
165	ult.	defiere	desiere
172	4	pilulis	pilulas.

Wi 3331

ULB Halle
006 232 116


3



Wf



B.I.G.



WENCESLAI TRNKA
DE KRZOWITZ

S. R. I. EQUITIS MEDIC. DOCT. IN REG. UNIVERS.
PESTIN. PRAX. MED. PROF. P. O.

HISTORIA
HÆMORRHOIDUM

OMNIS ÆVI OBSERVATA
MEDICA CONTINENS.

VOLUMEN III.

OPERIS POSTHUMI
EDITIONEM PROCURAVIT
FRANCISCUS SCHRAUD
IN EADEM UNIVERS. INSTIT. MED. PROF. P. O.

VINDOBONÆ,
APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPFLER.
MDCCXCV.